PA 6698
.K7
Copy 1

PA 6698
.K7
Copy 1

DE

P. PAPINII STATII COMPARATIONIBUS EPICIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IV. AUGUSTI A. MDCCCLXXI. HORA XII.

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS KRAUSE

SUIDNICENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

E. WINKLER, DR. PHIL.
H. GEIDA, CAND. THEOL.

HALIS

TYPIS ORPHANOTROPHEI.

75115

PA6699
.K7

AUGUSTO REIFFERSCHEID

SACRUM.

Statium, quamvis studiose imprimis poëtas, qui Augusti temporibus floruerunt, imitetur, tamen multa habere, quae ex ipsius indole manaverunt, non minus certum est, quam haec ipsa, quae ejus sermonis et ornatus oratorii propria sunt, praesertim si ad carmina epica spectas, in quibus multo plus temporis et operae, quam in Silvis [1]) collocavit, adhuc non satis inquisita necdum composita esse. De quibus quae Bernhardy [2]) disputavit, recte se habent etiamnunc post Grossii [3]) et Naukii [4]) libellos, quorum ut hic in inveniendis et conferendis iis, quae Statii propria sunt, non multum consecutus est, ita ille hac ipsa de causa, quod fere solas Silvas pertractavit, poëtae 'in ubertate egenti' parum subvenit. Nec quemquam hoc effecturum esse elucet, nisi qui assidue diligenterque, poëtas superiores legerit eorumque sermonem penitus cognoverit, ne communia et nota nomine proprietatis et raritatis impertiat, quod Naukio imprudenti accidit. Sed quum tam magno et difficili operi vix intra triennium vel quadriennium, quod vocant academicum, sufficere possis nec de sermone omnium poëtarum, qui ante Statium fuerunt, alii jam ita scripserint, ut satisfaciant et hoc onus sublevent, satius putavi, hujus modi quaestiones ad tempus omittere animumque induxi, aliud opus suscipere, quod ut viribus meis magis aptum, sic non minus ad hunc poëtam cognoscendum ac recte

---

1) Praef. Silv. I: 'libellos, qui mihi subito calore et quadam festinandi voluptate effluxerunt'; ibid.: 'nullum enim ex illis biduo longius tractum, quaedam et singulis diebus effusa.' — Praef. Silv. III: 'quum scias, multos ex illis in sinu tuo subito natos.' Contra Theb. XII, 811:

O mihi bissenos multum vigilata per annos Thebai!

praeter alios locos.

2) Grundriß der römischen Litteratur p. 496 (ed. IV.).

3) Observatorum in Statii Silvis specimen. Berol. Diss. 1860.

4) Observationes criticae et grammaticae in P. Papinium Statium Vratisl. Diss. 1863.

judicandum utile fore spero. In iis enim, quibus Statius carmina epica exornat, praeter figuras oratorias primum locum obtinent comparationes, quibus quamquam epici poëtae omnes utuntur, vix tamen ullus earum multitudine Statium aequaverit; nec vero adhuc de iis quisquam egit. Raro enim editores de pulchritudine vel vitio et imitatione comparationis unius alteriusve loquuntur et in praefationibus paene nihil nisi, quam multae sint, paucis docent, nec plura invenies in literarum romanarum historiis, quae quidem quisque vel obiter uno carminum libro pervoluto ipse animadvertet. Statius autem quantum ipse huic ornatui epico tribuerit, multitudo comparationum ab eo usurpatarum docet. De Silvarum comparationibus disputare nolo, quum diversi sint generis et persaepe aliud consilium sequantur [1]) nec poëta ad has idem studium contulerit.

Existent fortasse, qui hanc rem non tanti momenti esse, ut peculiari exponatur libello, objiciant. Quibus primum respondeo verbis Clarkii, 'ex elementis constare, ex principiis oriri omnia et ex judicii consuetudine in rebus minutis adhibita pendere saepissime etiam in maximis veram atque accuratam scientiam,' deinde vero appello multos eosque haud ignobiles viros, qui de Homeri, ut unum poëtam afferam, comparationibus non sine magna utilitate dissertationes composuerunt. Satis quidem me praestitisse putabo, si aequo animo judicantibus aliquid ad poëtae nunc paene neglecti rectam aestimationem contulisse videbor.

---

1) Injuria Passow ('de comparationibus homericis' Berol. Diss. 1852 p. 2) dicit, apud poëtas lyricos comparationes inferiorem locum obtinere, quam apud epicos; qui non modo earum multitudine, sed etiam eo redarguitur, quod tribus causis, propter quas epici iis utuntur (cf. Schol. Ven. ad Jl XI, 548: *αἱ μὲν παραβολαὶ τριῶν ἕνεκα γίγνονται· αὐξήσεως, ἐνεργείας, σαφηνείας*), lyrici addunt 'confirmationem' quartam; qua de re rectissime dicit Hertzberg Quaestt. Propp. p. 146: 'Deindae ut exempla, sic similia dissolute posita tum praesertim, quum enthymematum more adhibita nescio quam sententiis confinem speciem trahunt.'

Caput I.

Comparationum causas et genera vel quomodo differant a metaphoris et allegoriis, exponere non opus esse puto, quum alii de his rebus fusius disseruerint;[1]) quorum sententias, quibus non assentior, etsi hic impugnare non mei est instituti, de una tamen Passovii silentium agere non possum, qui l. a. p. 3 haec dicit: 'postquam carmina epica ex populi consuetudine et ex ipsa natura, gratissima omnium altrice, in tristia domicilia confugerunt, comparationes non jam sententias illustraverunt, sed ab innata sua indole ad sola orationis ornamenta desciverunt;' quibus nemo certe subscribet, nisi qui nimia unius poëtae admiratione captus omnes alios contemnendos esse censet. In universum hoc est tenendum, homericas comparationes paene omnes ex ipsa rerum contemplatione ortas esse, quum posteriores poëtae eas persaepe fingant vel a prioribus inventas imitentur. Qua re leporem naturalem nativumque semel atque iterum perire est consentaneum, praesertim quum nimis dilucide poëta studium doctrinae suae hoc ornatu oratorio ostentandae prae se ferat.

Aliis argumentis, quibus Iliadem ante Odysseam esse compositam comprobatum est, non immerito mihi hoc adjectum esse videtur,[2]) quod in illa, quae vividiorem poëtae

1) A. Passow l. a.-Remacly: 'De comparationibus homericis' part. II. Marcoduri 1843; idem: 'De generibus comparationum homericarum, praecipue de simplicibus' part. III. Bonnae 1846. — Sickel: 'Bruchstück einer Einleitung in die homerischen Gesänge.' Lips. 1838; idem: 'Ueber die homerischen Gleichnisse.' Hal. 1847. Vehementer mihi dolet, quod aliorum dissertationes, qui de hac re scripserunt, comparare mihi non contigit.

2) Sickel part. II. p. 2, cf. etiam dictum ibi allatum Hegelii (Ästhet. 1, p. 538): 'Die Gewalt der Gestalten erfindenden und durch sinnreiche Beziehungen und Verknüpfungen auch das Heterogene bändigenden Phantasie ist es, welche dem Gleichniß zu Grunde liegt.'

animum et sensum repraesentat, etiam multo plures comparationes leguntur. Quare quum numerum comparationum, quae his duobus carminibus continentur, a Statianis aequari, earum autem, quas in Vergilii Aeneide invenimus, ab illis triplo superari videamus, praeter diligentiam, quam hic poëta ad res externas confert,[1]) simplicitatis studium hujus rei causam esse non negabimus, quamquam haec ipsa consectatio, quo magis est perspicua, eo minorem laudem poëtae impertit, praesertim quum simplicitas quaesita persaepe comparationibus absurdis parumque probabilibus obruatur.[2])

Comparationum numerus in singulis libris non constat non modo propter dissimilitudinem eorum, quae ubique narrantur, sed etiam, quia non eandem diligentiam poëta in omnibus carminum partibus posuit. Sic pleraeque leguntur in Theb. VI, ubi ludos poëta plene et verbose describit, qui in honorem Archemori a serpente interfecti ab Argivis celebrantur et in Theb. X, ubi castra Thebanorum ab Argivis oppressa, Hoplei et Dymantis interitus, Menoecei mors, muri a Capaneo oppugnati ejusque supplicium narrantur. Contra maxime sunt rarae in Theb. I. et II.[3]) et in Achilleide, quae res inde explicationem habet, quod hoc carmen poëta multo celerius composuit neque ad exitum adduxit; sed ob eam ipsam causam multis vitiis, quibus Thebais est affecta, caret longeque mihi praeferendum illi videtur. Etiam in Theb. XII pro argumenti

---

1) cf. Goethii, qua Silvas exornat, laudem fortasse nimiam apud Handium Jnd. lectt. Jenenss. 1849 p. 7: 'poëta est magnopere laudandus assiduoque studio nostro dignus; non me offendunt ea, quae luxurie quadam ingenii effudit, sed admiror in ea artem, qua res conspicuas mente comprehendere et exacte describere optimum quemque poëtam decet — tanta est ei ars rerum imagines percipiendi et repraesentandi.' — Quam accurate leges metricas observaverit, docuit O. Mueller: 'Quaestiones Statianae' Berol. 1861.

2) Rectissime de hoc vitio Statii judicavit Teuffel Gesch. d. röm. Litt. p. 633.

3) cf. Sickel part. I, p. 2 annot. 3: 'Im Anfange der Ilias sowohl als der Odyssee finden sich keine Gleichnisse. Dies hat einen andern Grund als den die Alten angeben, daß nämlich, ehe die Phantasie erwärmt ist, Gleichnisse nicht passen.'

magnitudine paucae insunt, id quod praeter alia dilucide docet, in hunc librum a poëta non eandem impensam esse operam, quam in ceteris.[1]) Pleraeque, si singulos spectamus locos, sunt Theb. VI, 854 sqq. 864 sqq. 880 sqq. 893 sqq. et Theb. XI, 7 sqq. 12 sq. 27 sqq. 42 sqq.[2])

Jam vero si quaeritur, unde Statius petiverit argumenta comparationum, tria sunt genera: natura et animata et inanima, mythologia, ut ita dicam, tota hominum vita. Ex quibus comparationes longe plurimas, ut etiam alii poëtae epici, ex natura deprompsit easque ex ejus parte animata. Cujusmodi comparationum numerum qui noverit, saepe eandem repeti vel inter sese similes proferri non mirabitur, quam repetitionem etiam in aliis rebus Statii propriam esse quum ab aliis jam comprobatum sit, posthac novis exemplis docebo. Imprimis mores atque indoles leonis describuntur: ferocia (Ach. II, 184 sqq. Theb. IX, 739 sqq., XII, 356 sqq.), caedis et praedae cupiditas (Theb. II, 675 sqq. V, 203 sqq. VII, 670 sqq. VIII, 573 sqq.), clementia (Theb. VII, 529 sqq. VIII, 124 sqq.), fortitudo et audacia (Theb. VIII, 594 sqq. X, 414 sqq.); cf. praeterea Theb. IX, 189 sqq. XI, 27 sqq. 741 sqq. XII, 740. Eadem fere tigridi tribuuntur (Theb. II, 128 sqq. IV, 315 sqq. VIII, 475 sqq. X, 288 sqq. 820 sqq.). Praeter leonem saepissime in comparationibus invenimus taurum, cujus salacitas depingitur Ach. I, 313 sqq. VI, 864 sqq., animus et pugnandi studium Theb. II, 323 sqq. XI, 251 sqq. XII, 601 sqq., robur Theb. III, 330 sqq. X, 511 sq.; cf. praeterea Theb. I, 131 sqq. IV, 69 sqq. IX, 82 sqq.[3]) Ex avibus praecipue sunt nominandi olor (Theb. VII, 286 sqq. VIII, 675 sqq IX, 858 sqq.), hirundo (Theb. VIII, 617 sqq. XII, 478 sqq.), grus

---

1) cf. Teuffel l. a. p. 635: 'Nachdem in den ersten zehn Büchern die Handlung äußerst langsam von der Stelle gerückt ist, — wird sie in den beiden letzten Büchern vollends summarisch zu Ende geführt.'

2) cf. Silv. II, 6. 25. 199. 30 sqq. 36 sq. 42 sqq. 45 sqq. 56 sq.

3) Lupum invenimus Ach. II, 30 sqq. Theb. IV, 363 sqq. VIII, 692 sqq. X, 42 sqq. XI, 27 sqq. XII, 739 sq., serpentem Theb. II, 411 sqq. IV, 95 sqq. V, 599 sqq. XI, 310 sqq., ex piscibus unum tantum delphinem Theb. XI, 242 sqq. insuper in simili, quod mutuatus est.

(Theb. V, 11 sqq. XII, 515 sqq.); aliis locis quam comparet avem, poëta in incerto relinquit (Ach. I, 212 sqq. Theb. VI, 298 sq. IX, 27 sqq. X, 458 sqq.). Plantis perraro utitur, nempe quattuor locis: Theb. VI, 854 sqq. X, 674 sq. VIII, 545 sqq. IX, 532 sqq. Contra ex natura inanima permultas comparationes petivit, quarum maximum numerum complent ventorum et tempestatum descriptiones: Theb. I, 193 sq. 479 sqq. III, 432 sqq. V, 704 sqq. VI, 107 sqq. 299 sq. VII, 86 sqq. 223 sqq. 560 sq. 625 sqq. VIII, 423 sqq. IX, 523 sqq. X, 246 sqq. 537 sqq. XI, 114 sqq. XII, 650 sqq. 728 sqq. Deinde fluviorum impetum et vastationes ante oculos ponit: Theb. III, 671 sqq. VI, 407. VIII, 461 sqq. X, 864 sqq. Denique cetera, quae in rerum natura homines imprimis movent, vere et commode in comparationibus exponuntur: imber (Theb. VI, 422 sq. VIII, 407 sqq.), grando (ibid.), tonitrua et fulgura (Theb. III, 317 sqq. VI, 51 sqq. VII, 582 sqq.), nix (Theb. V, 390 sqq. VIII, 407 sq.), similia,

Accedimus ad comparationes, ut ita dicam, mythologicas numero secundum locum obtinentes. Iis vero longe saepius utitur Statius, quam ceteri epici. Apud Homerum enim perraro inveniuntur, cujus rei causa certo est poëtae erga deos pietas et verecundia. Sed ne de aliis dicam, apud Vergilium quum numerum ex vita hominum assumptarum aequent et ex priore loce petitarum multitudine quinquies tanto superentur,[1]) in nostri carminibus duplo quam illae crebiores et qua druplo tantum his rariores sunt. Quodsi causas hujus differentiae quaerimus, maximam esse invenimus aetatis Statianae mores. Ecquid mirabimur, poëtam tam saepe deos et heroes adhibere ad ea, quae narrat, illustranda, si perpenderimus, quam rara fuerint ejus tempore verae pietatis exempla, quum plerisque ejus aequalibus deorum verecundia ita placeat, ut tamen conducat? Ac si imperatorem nequissimum ejusque familiares non modo fortissimis, qui olim exstiterunt, viris et diis ipsis aequari, sed etiam praeferri videmus, ut Statius et Martialis

1) cf. Eppelin: 'Ueber die Vergleichungen Virgils' Lahr 1862, quem bellum beneficio Prof. Dr. Hauseri, gymnasii Lahriensis directoris, mihi rara benignitate et facilitate auctor tradidit.

saepe fecerunt, jam stupebimus, deos quasi *νευρόσπαστα* ad aliorum facta in carmine epico repraesentanda moveri? Quamquam hoc vitium quodammodo superiorum exemplo, velut Ovidii, excusatur, qui non modo deorum comparationibus praeter cetera student, sed etiam publicam imperatoris appellationem secuti principi eosdem ac diis honores tribuere non verentur, quemadmodum etiam Vergilius Aen. VI, 801 sqq. Augusti facta majore laude digna esse censet, quam res ab Hercule et Baccho gestas. Attamen recte Eppelin l. a. p. 9. dicit, hunc poëtam sancto quodam pudore talibus similibus non uti, nisi res vere sublimes augustae ei describendae sint, neque unquam partium secundarum homines, quamvis proxime dignitate et specie ad personas primas accedant, hoc ornamento afficere. Contra Statius mirum quantum ab hoc prudentissime constituto modo abhorret: ut enim in Silvis non solum in imperatorem, sed in quemlibet, ad quem carmen mittit, hos honores congerit, sic in carminibus epicis nec dignitate nec condicione hominum considerata hoc ornatu oratorio prolixe utitur. Deinde vero permulta hujus generis similia etiam a superlationis et inflatae orationis studio Statii profecta sunt,[1]) quod quum per omnia ejus carmina deprehendas (cf. imprimis, quae de Capaneo narrantur Theb. X), ex omnibus editoribus acerrime Barth multis locis etsi interdum nimis severe vituperavit. Caeli marisque deos et ipsum Acheronta movet, quo majorem viris et factis, quae canit, speciem et dignitatem addat. Saepissime ex diis comparantur Apollo (Ach. I, 165 sqq. 484 sqq. Theb. IV, 794 sqq. VI, 320 sqq.), Diana (Ach. I, 293 sqq. 344 sqq. II, 150 sqq. Theb. II, 236 sqq.), Minerva (Ach. I, 299 sq. 484 sqq. II, 151 sqq. Theb. II, 236 sqq.),[2]) et ex heroibus Hercules (Theb. VIII, 750 sq. XI, 234 sqq. XII, 66 sq.). Nec tamen infitiandum est multas harum comparationum satis commode et apposite illigatas

1) Recte Duebner praef. p. IV: 'In comparationibus, quas mire affectat, nonnunquam, ut loquar libere, absurdus est aut monstrosus.'

2) Mars: Ach. I, 484 sqq. Theb. IV, 794 sq. VI, 665 sqq., Neptunus: Theb. III, 432 sqq., Mercurius: Theb. IV, 794 sq., aliis locis Juppiter, Juno, Persephone, Pluto.

esse, velut Th. VI, 320 sqq., ubi Adrastus Polynicem, quomodo equus Arion sit tractandus, docens confertur cum Sole Phaëthontem, priusquam currum conscendit, admonente vel Ach. I, 588, ubi Achillis in Deïdamiam paullatim exoriens amor Jovis et Junonis exemplo illustratur. Memorandum vero est, nunquam Statium deos hominibus comparare.[1])

De iis comparationibus, quae specie secundi generis esse videntur, re ipsa rejiciendae sunt ad tertium, quo de nunc agemus, postea dicetur.

Quum multo minor sit numerus eorum similium, quae vitam moresque hominum describunt, pleraque poëta ex nautarum vita sumpsit (Theb. I, 193 sqq. 370 sqq. II, 193 sqq. IV, 24 sqq. 805 sqq. VI. 19 sqq. 483 sq. VII, 139 sqq. 791 sqq. IX, 141 sqq. X, 13 sq. XI, 520 sqq.) Deinde ante oculos ponuntur externorum populorum mores ac consuetudines: Ach. I, 307. Theb. I, 421 sqq. II, 81 sqq. V, 261 sqq.; Theb. III, 140 sqq. VI, 685, vel religiones et caerimoniae: Theb. V, 92 sqq. X, 170 sqq. XII, 224 sqq. 791 sqq. Comparationes de pastorum et venatorum vita petitae, quae quodammodo primum et tertium genus conjungunt, quamquam haud infrequentes sunt, tamen magis in animalium, quam hominum descriptione versantur. Nec silentio est praetereundum, ne unam quidem comparationem apud Statium inveniri, ubi vita domestica describatur, cujus rei causam recte mihi explicasse videtur Eppelin l. a. p. 8. In una tantum comparatione (Ach. I, 308) Statius artificio necessario utitur, quae ut ab ipso non primo prolata est, sic paucissimis verbis absolvitur.[2])

Quo loco ipso disputatio nostra jam eo est traducta, ut inquiramus, quantum comparationibus ad poëtae vitam, studia, sententias cognoscendas adjuvemur. Parum vero illas in hac quaestione prodesse, quicunque Statium magis artem et studia,

---

1) Etiam Vergilius hoc perquam raro fecit, cf. Eppelin l. a. p. 10.

2) Ach. I, 332 sq. non est hujus loci, quum hic de artifice poëta loquatur.

quam naturam sequi meminerit, facile intelleget. Jam pauca, quae huc facere videntur, conferemus.

Ex comparationum, quas postremo loco posuimus, raritate haud immerito colligi potest, Statium, praesertim quum fuerit homo principis favoris expetens, non alienum fuisse a contemptione opificum, qua non minus Romanos, quam Graecos imbutos fuisse, eorum literis saepe docemur.[1]) Nec sine veritatis specie multitudine comparationum de mari vitaque maritima petitarum certo argumento usi sumpserimus, poëtam ex civitate maritima, quae erat emporium frequens, oriundum non modo ea, quae describit, vel similia usu cognita habuisse, sed etiam diligenter ad ea animum attendisse. Etiam vitam rusticanam in deliciis habuisse Statium praeter Silvarum locos (cf. Silv. III, 1, 61 sqq. IV, 5.) ex frequentia similium inde sumptorum apparet. Nec mores indolesque multarum bestiarum solum studio et literis cognovit, quamquam haud paucae hujusmodi comparationes ab aliis poëtis petitae reperiuntur; nam hujus notitiae adipiscendae occasionem saepe ludi bestiarii praebebant, quorum, ut unum afferam exemplum, Ovidius in ipsa comparatione mentionem facit Metamm. XII, 102 sqq.:

'Haud secus exarsit, quam circo taurus aperto
Cum sua terribili petit irritamina cornu,
Poeniceas vestes, elusaque vulnera sensit.'

Ac certissime haec res comprobatur locis quibusdam, quos Martialis aperta ludorum illorum imitatione effinxit, et similibus Statianis collatis, cf. Mart. II, 75, 1, sqq.:

'Verbera securi solitus leo ferre magistri
Insertamque pati blandus in ora manum
Dedidicit pacem subito, feritate reversa
Quanta nec in Libycis debuit esse jugis' et qu. s.

Stat. Ach. II, 184 s qq.:

'Ut leo, materno quum raptus ab ubere mores
Accepit pectique jubas hominemque vereri

1) cf. Mommsen, Röm. Gesch. I, p. 197. Friedländer, Röm. Sittengesch. I, p. 254. Apud poëtas graecos tales comparationes non tam raro inveniuntur; cf. Schoemann, Griech. Alterth. I, p. 45. p. 75 sq. p. 549.

Edidicit nullasque ruit nisi jussus in iras,
Si semel adverso radiavit lumine ferrum,
Ejurata fides' e. qu. s.

Cf. praeterea Theb. VIII, 594 sqq. XII, 739 sq. et Mart. I, 22. 48. 51. 90. 104, 12 sqq.

Ex comparationibus mythologicis fortasse unam alteramve tabularum Statii tempore celebratarum descriptiones esse suspicari licet, quum etiam alios poëtas hujusmodi imitationibus usos esse satis constet. (cf. Prop. I, 3, 1 sq.) Huc accedit, quod deorum heroumque habitus facies formae expressae artificum operibus tam fixae et constantes erant, ut comparationes inde petitae illorum temporum lectoribus multo clariores vividioresque essent, quam nobis. Certe nonnulla similia, si illa conjectura non recte se haberet, nimis futilia absurdaque essent nominanda, ut Theb. I, 485 sqq. alia.

Comparationum numerus quum tantus sit Statiumque non anxie alias repetitiones vitare constet,[1]) non mirum est, eum persaepe easdem res comparationibus subjicere oculis. Imprimis studio et amore describit animi affectus quoque modo appareant, in quibus exprimendis nemini poëtarum eum cedere, recte dicit Markland,[2]) ut timorem terroremque (Theb. I, 370 sqq. IV, 494 sqq. V, 165 sqq. IX, 858 sqq. X, 622 sq. XII, 169 sqq.), maerorem (Theb. V, 330 sqq. VI, 186 sqq. IX, 82 sqq. X, 820 sqq. XI, 644 sqq.), laetitiam (Theb. II, 193 sqq. IX, 189 sqq. X, 228 sqq. XII, 515 sqq. 787 sq.), lamentationem (Theb. VIII, 617 sqq. IX, 401 sqq. XII, 478 sqq.), iram (Theb. II, 411 sqq. X, 76 sqq. XI, 741 sqq. XII, 601 sqq.), animi commotionem placationemque (Theb. I, 479 sqq. V, 704 sqq. VII, 86 sqq. 223 sqq. 529 sqq. VIII, 124 sqq. X, 246 sqq.), dubitationem (Theb. I, 193 sqq. III, 22 sqq.); deinde res vulgarem modum egredientes persaepe comparationibus illustrantur, ut celeritas (Theb. II, 469 sqq. III, 317 sqq. V, 349. VI, 109 sq. 114 sqq. 298 sqq. 405 sqq. 598 sqq. VII, 582 sq. X, 674 sq.), clamor (Theb. III, 56 sq. 594 sqq. 671 sqq. VI, 806 sq. VII, 286 sqq.), multitudo

---

[1]) cf. Hand Silv. p. 268 sqq. Grosse l. a. p. 11—17. 20—23.

[2]) cf. Eppelin l. a. p. 18 sqq.

(Theb. I, 419 sq. V, 390 sqq. VI, 422 sq. VIII, 407 sq. X, 587 sqq.) et aliae, ut fuga (Theb. VIII, 533 sqq. XI, 443 sqq.), discessus (Theb. IV, 24 sqq. X, 574 sqq.), pugnae intermissio (Theb. VI, 799 sqq. VII, 804 sqq.), casus (Theb. VIII, 545 sqq. IX, 532 sqq.), amor existens (Ach. I, 313 sqq. 588 sqq.), hortatio (Ach. I, 332 sq. 344 sqq.).

Sed quamvis eleganter et ingeniose poëta easdem vel similes res variaverit, tamen nonnunquam hanc laudem requires, ubi res comparata et comparatio fere eaedem sunt, cf. Theb. I, 535 sq. II, 236 sqq. — Theb. III, 604 sq. VI, 753 sq. X, 849 sqq. XI, 12 sqq. — Theb. IV, 139 sqq. IX, 220 sqq. — Theb. VI, 51 sqq. XI, 437 sq. — Theb. VI, 777 sq. IX, 91 sqq. — Theb. VI, 864 sqq. XI, 530 sqq. — Theb. VIII, 212 sqq. X, 13 sq. — Theb. VIII, 545 sqq. IX, 532 sqq. — Theb. VIII, 594 sqq. XII, 739 sq. — Theb. IX, 115 sqq. X, 414 sqq.

Jam vero exponendum nobis est, qua arte Statius comparationes conformaverit singulisque locis inseruerit.

Quum primum sit tenendum praeceptum, ut comparatio comparato congruat, quo simplicius utrumque sit, eo facilius hanc legem servari apparet. Sed hujusmodi comparationes quum fere omnes arte careant, in disputationem non vocandae sunt. Pleniores vero, quo majorem cum eo, quod comparatur, similitudinem habent, eo magis sunt laudandae. Nec tamen apud ullum poëtam multas invenias, ubi singula singulis respondeant, nedum apud nostrum, qui omnino epica, ut ita dicam, tranquillitate est destitutus. Inter haec accurata similia numerandum est Theb. I, 370 sqq., ubi Polynices exul magna tristitia afflictus per tempestatem in agro inhospito circumvagans apte sic describitur:

'Ac velut hiberno deprensus navita ponto,
Cui neque Temo piger nec amico sidere monstrat
Luna vias, medio caeli pelagique tumultu
Stat rationis inops, jam jamque aut saxa malignis
Expectat submersa vadis aut vertice acuto
Spumantes scopulos erectae incurrere prorae.'

Accuratissime in comparatione respondent caeli marisque tumultus, tenebrae, nautae inopia consilii metusque, ne vadis vel rupibus occultis navis illidatur. Eademque laude dignus locus est Ach. I, 371 sqq., ubi virginum Scyriarum timiditas paullatim in familiaritatem erga Achillem abiens comparatur sic:

'Qualiter Idaliae volucres, ubi mollia frangunt
Nubila, jam longum caeloque domoque gregatae,
Si junxit pennas diversoque hospita tractu
Venit avis, cunctae primum mirantur et horrent;
Mox propius propiusque volant, atque aere in ipso
Paulatim fecere suam plausuque secundo
Circumeunt hilares et ad alta cubilia ducunt.'

Cf. praeterea Theb. III, 330 sqq. V, 599 sqq. 704 sqq. VIII, 255 sqq. 573 sqq. 692 sqq. X, 414 sqq.

Plerumque autem poëta consuetudine omnibus poëtis epicis communi evagatur aliasque res addit, quae quamquam comparationem clariorem reddunt, tamen parum ad id, quod comparatur, pertinent.[1]) Ac talibus comparationibus poëta alibi quoque verbosus et a moderatione abhorrens, studio et amore utitur, quarum pulchritudo si aequaret longitudinem, certe eximia laude non expers foret. Sic Argia noctu ad lumina maritum quaerens confertur cum Cerere Theb. XII, 270 sqq.:

'Qualis ab Aetnaeis accensa lampade saxis
Orba Ceres magnae variabat imagine flammae
Ausonium Siculumque latus, vestigia nigri
Raptoris vastosque legens in pulvere sulcos.
Illius insanis ululatibus ipse remugit
Enceladus ruptoque vias illuminat igni.
Persephonen amnes, silvae, freta, nubila clamant,
Persephonen tantum Stygii tacet aula mariti.'

Tertium comparationis, ut recepta voce utar, quum sit actio quaerendi, vv. 274—277, quamvis eleganter ea, quae in comparatione narrantur, illustrent, tamen non solum alieni

1) Haud parvam partem horum similium implent ea, in quibus rei descriptae effectus additur (cf. Heyne ad Verg. Aen. II, 416.), quae afferre longum est.

sunt a comparato,[1]) sed etiam contrarii, quum Argia campum tacite pervestiget. Cf. praeterea: Ach. I, 459—466. 484—490. Theb. II, 81—88. 236—243. 323—330. 469—475. 595—601. 675—681. III, 22—30. 432—439. IV, 24—30. V, 186—192. VIII, 286—293. IX, 189—195. X, 227—234. 820—826. XI, 741—747. XII, 15—21. Interdum tertium comparationis in aliqua enuntiati parte quodammodo latet, velut in participio Theb. VI, 893 sqq.:

'Herculeis pressum sic fama lacertis
Terrigenam sudasse Libyn, cum fraude reperta
Raptus in excelsum, nec jam spes ulla cadendi
Nec licet extrema matrem contingere planta.'

Vocabulis 'lacertis pressum' id continetur, quod comparato cum comparatione commune est, quum verbo finito iisque, quae sequuntur, poëta jam egrediatur extra fines actionis describendae, nisi forte statuimus, poëtam comparatione amplificata ea explere voluisse, quae in ipsa pugnae singularis narratione omiserit. Sic etiam comparatione intellegimus, Argivos iratos Adrasto monente a Lycurgo manus abstinuisse, quod quidem poëta antea non narravit, Theb. V, 704 sqq.:

'Sic ubi diversis maria evertere procellis
Hinc boreas eurusque illinc niger imbribus auster,
Pulsa dies regnantque hiemes, venit aequoris alti
Rex sublimis equis, geminusque ad spumea Triton
Frena natans late pelago dat signa cadenti,
Et jam plana Thetis, montesque et litora crescunt.'

Quum enim in comparatione dei adventu statim maris tumultum esse sedatum, certo et manifesto dictum sit, quid Adrasti verbis effectum sit, omnino non memoratur tantumque comparatione cognoscitur. Cf. Theb. X, 646 sqq. XI, 641 sqq. Quin etiam semel poëta comparatione ea praecipit, quae continuo narrantur, Theb. VIII, 406 sqq.:

'At postquam rabies et vitae prodiga virtus
Emisere animos, non tanta cadentibus hoedis

---

1) cf. Wagner ad Verg. Aen. IV, 149.

Aeriam Rhodopen solida nive verberat Arctos,
Nec fragos Ausoniae tantus, quum Juppiter omni
Arce tonat, tanta quatitur nec grandine Syrtis,
Quum Libyae boreas Italos niger attulit imbres.
Exclusere diem telis' sqq.

Saepius amplificatorum similium parte quadam indicantur et quasi praecipiuntur, quae postea demum proferuntur. Quas anticipationes, ut ita dicam, si quis natas esse putat ex impetu et ardore poëtico, quo Statius raptus sit ad res alienas, quas, dum scribit, ad sequentia quadam ratione pertinere, ipse non senserit, falli neque ingenium hujus poëtae perspexisse mihi videtur, qui mirum quantum a naturali illa mentis incitatione abhorreat nec canat nisi diligenter meditatus. Neque omnino futurarum rerum significationes naturae carminis epici repugnare notissimum est. Ac clarissime sententia mea comprobatur Theb. VI, 798 sqq., ubi comparationis exitu pugnae redintegrationem praedici patet:

'Defectique ambo genibus pariterque quierunt.
Sic ubi longa vagos lassarunt aequora nautas,
Et signo de puppe dato posuere parumper
Bracchia, vix requies, jam vox ciet altera remos.
Ecce iterum immodice venientem eludit' sqq.

et Theb. VIII, 691 sqq:

'Retroque datum Thebana tegebant
Arma ducem. Sic densa lupum jam nocte sub atra
Arcet ab apprenso pastorum turba juvenco;
Improbus erigitur contra, nec cura vetantes
Impetere, illum, illum, semel in quem venerat, urget.
Non secus (scil. Tydeus) objectas acies turbamque minorem
Dissimulat transitque manu,'

cujus comparationis pars prior ut pertinet ad antecedentia, sic posterior ad sequentia, cujus rei praeter sententiam vox 'non secus' argumentum est. Similis est locus Theb. X, 864 sqq.:

'Amnis ut incumbens longaevi robora pontis
Assiduis oppugnat aquis, jam saxa fatiscunt

Emotaeque trabes; tanto violentior ille,
Saevit enim majore salo, quassatque trahitque
Molem aegram, nexus donec celer alveus omnes
Abscidit et cursu victor respirat aperto,'

ubi vv. 868 sq. jam spectant ad vv. 870 sqq.:

'Utque (scil. Capaneus) petita diu celsus fastigia supra
Eminuit' sqq.

Cf. praeterea finem comparationis Ach. I, 277 cum v. 284 et Theb. XII, 650 sqq.

Sed etiam res, quae aliquanto post narrantur, significantur, ut Ach. I, 588 sqq., ubi poëta Deïdamiam sexus et amoris Achillis ignaram comparans:

'Sic sub matre Rhea juvenis regnator Olympi
Oscula securae dabat insidiosa sorori
Frater adhuc, medii donec reverentia cessit
Sanguinis et veras germana expavit amores'

v. 590 sq. ea praedicit, quae vv. 640 sqq. narrantur, quam significationem quominus ab eo insciente factam esse censeamus, verbis insequentibus prohibemur:

'Tandem detecti timidae Nereidos astus.'

Cf. Ach. II, 72 sqq. (87 sqq. 193 sqq.), Theb. VI, 20 sqq. (VII, 131 sqq.) VIII, 461 sqq. (498 sqq.)

Nec tamen talium locorum crebritatem laudandam ducet, quicunque mecum arbitratur, poëtae esse eos, qui carmen lecturi sint, rerum narrandarum ignaros fingere, neque hanc ignorantiam ab ipso demi posse, quin operi multum jucunditatis et voluptatis detrahat.

Quum poëtae epico in amplificandis similibus licentia vel neglegentia quaedam grata sit concedenda, tamen semper ea lex observanda est, ne comparationis summa luxurie rerum parum pertinentium ad ea illustranda, de quibns agitur, obscuretur et obruatur, neve insit in hac copia quidquam, quod rei comparatae repugnet. Hac enim ratione poëta non modo perspicuitatem comparatione quaesitam perdit, sed etiam legentibus, quibus quasi requiem praebere vult, similitudinis inveniendae difficultatem injungit. Sed hoc praeceptum poëta

propter ingenii inconstantiam nimiamque alacritatem haud raro neglexit.[1]) Quod ad vitium quum fere nusquam editores animum attenderint, nunc uberius de eo disputabo. Sed quominus loci, velut Theb. XII, 650, ubi tertium comparationis nimis lateat, afferantur, multitudo eorum, qui majoribus sunt affecti vitiis, prohibet. Satis habeo locis allatis ea addere, quae inter sese respondere debebant. Theb. II, 595 sqq.:

'Non aliter Geticae si fas est credere Phlegrae,
Armatum immensus Briareus stetit aethera contra,
Hinc Phoebi pharetras, hin torvae Palladis anguis,
Inde Pelethroniam praefixa cuspide pinum
Martis, at hinc lasso mutata Pyragmone temnens
Fulmine, cum toto nequiquam obsessus Olympo
Tot queritur cessare manus,'

Tydeus se defendens, quin etiam pedem referens, tamen victor — Briareus aggrediens et, quamquam in comparatione non narratur, victus.[2])

Theb. IV, 782 sqq.:

'Qualis Berecyntia mater
Dum pârvum circa jubet exultare Tonantem
Curetas trepidos; illi certantia plaudunt
Orgia, sed magnis resonat vagitibus Ide,'

Hypsipyle Opheltem 'amico murmure' consolans — Curetes Rheae jussu ingentem strepitum aeribus facientes; praeterea ea quoque differentia in comparatione inest, quod ille strepitus non fit, ut clamor fletusque Jovis sedetur, sed ut obstrepatur.

---

1) Haec vituperatio redargui videtur ipsis poëtae verbis Theb. XII, 811 et quibusdam Silvarum locis, ubi diligentiam et perseverantiam, quam posuerit in elaboranda Thebaide, praedicat. Sed qui noverit, quotiens Statius a vera temporis ratione aberraverit vel res romanas et graecas miscuerit vel inter se contraria narraverit quotque repetitiones admiserit (cf. Welcker Kl. Schriften I, p. 397 sqq.), ne alia proferam, non injustam vocabit illam sententiam. Ceterum nunc fere inter omnes constat, Statio ingenium, quo poëta vere epicus praeditus esse debet, defuisse.

2) Memoratu dignum est, Statium hoc loco ab usitata memoria discrepare (cf. Preller, Griech. Myth. I, p. 83 annot. 489), fortasse Verg. Aen. X, 565 sqq. secutum.

Theb. III, 45 sqq.:

'Haut aliter saltu devertitur orbus
Pastor ab agrestum nocturna strage luporum,
Cujus erile pecus silvis inopinus abegit
Imber et hibernae ventosa cacumina lunae.
Luce patent caedes; domino perferre recentes
Ipse timet casus, haustaque informis harena
Questibus implet agros, stabulique silentia magni
Odit et amissos longo ciet ordine tauros,'

quum pastor 'domino perferre recentes casus' vereri dicatur, Maeon 'iratus fatis et tristis morte negata' reversus Eteocli cladem acerbissimis criminibus additis nuntiat. Deinde Maeon manus contra Tydeum missae non est dux.

Theb. I, 421 sqq.:

'Non aliter quam Pisaeo sua lustra Tonanti
Cum redeunt crudisque virum sudoribus ardet
Pulvis, at hinc teneros caveae dissensus ephebos
Concitat, exclusaeque expectant praemia matres'

praeter quam quod inepte ludi Olympiaci ab ingenti multitudine spectati committuntur cum pugna a Tydeo et Polynice nocte et loco deserto facta, comparationis vis omnino tollitur verbis sequentibus (v. 425) 'nulla cupidine laudis,' quae etiam per se satis absurde sunt dicta.

Etiam vehementius reprehendendus est locus, quo Menoeceus mortuus Herculi etiam tunc vivo comparatur Theb. XII, 66 sq.:

'Accubat, haut aliter, quam quum poscentibus astris
Laetus in accensa jacuit Tirynthius Oeta.'

Sed insulsitatem poëta cumulat Theb. III, 139 sqq.:

'Quaerit (scil. Ide) inops natos omnique in corpore plangit.
Thessalis haut aliter bello gavisa recenti,
Cui gentile nefas hominem renovare canendo,
Multifida attollens antiqua lumina cedro
Nocte subit campos versatque in sanguine functum
Vulgus et explorat manes, cui plurima busto

Imperet ad superos; animarum maesta queruntur
Concilia, et nigri pater indignatur Averni,'

quum res similis proferenda sit, poëta laetitiam et tristitiam componit!'

Theb. V, 330 sqq.:

'Sic ubi ductorem trepidae stabulique maritum,
Quem penes et saltus et adultae gloria gentis,
Massylo frangi stupuere sub hoste juvencae,
It truncum sine honore pecus, regemque peremptum
Ipse ager, ipsi amnes et muta armenta queruntur,'

quam absurda sit haec comparatio, intellegitur iis propositis quae inter se respondent: leo, taurus, pecus — Lemniae feminae, conjuges eorum et pueri, Lemniae feminae.

Theb. XII, 356 sqq.:

'Fremitu, quo territat agros
Virginis ira leae, rabies cui libera tandem
Et primus sine matre furor,'

qui locus paene risum movet, quum Antigonam tempore, quo custodes somno se dederunt, usam, quamquam, ne eos excitet, suspenso gradu tacitamque abiisse verisimile est, Statius avolasse narret, 'quo fremitu territat agros' leaena irata.

Plus excusationis habent eae comparationes ampliores, ubi poëta res adjicit, quae rebus paullo post commemorandis repugnant, velut Theb. II, 469 sqq.:

'Oeneae vindex sic ille Dianae
Erectus saetis et aduncae fulmine malae,
Cum premeret Pelopea phalanx, saxa obvia volvens
Fractaque perfossis arbusta Acheloia ripis,
Jam Telamona solo, jam stratum Ixiona linquens
Te Meleagre subit; tibi demum cuspide lata
Haesit et obnixo ferrum laxavit in arma'

Tydeus incolumis per agmina Thebanorum avolat, sed aper venatores haud prospere aggressus est.

Theb. VIII, 423 sqq.:

'Ut ventis nimbisque minax quum solvit habenas
Juppiter affligitque alterno turbine mundum,

Stat caeli diversa acies, nunc fortior Austri,
Nunc Aquilonis hiems, donec pugnante procella
Aut nimiis hic vicit aquis, aut ille sereno,'

quum nihil nisi anceps pugna describenda fuerit, ea, quae v. 425 sqq. adduntur, non modo supervacanea, sed etiam molesta sunt.

Simile vitium in brevi quoque comparatione deprehenditur Theb. VI, 777 sq.:

'Ut praeceps cumulo salit unda minantes
In scopulos et fracta redit,'

continuo enim Capaneo rupi assimilato gravis plaga infligitur (v. 780 sq.).

Interdum poëta in comparationes insumit res ex posterioribus petitas temporibus, ut Theb. VI, 596 sq.:

'Credas e plebe Cydonum
Parthorumque fuga totidem exiluisse sagittas,'

et Theb. VI, 716 sqq.:

'Quale vaporifera saxum Polyphemus ab Aetna
Lucis egente manu tamen in vestigia puppis
Auditae juxtaque inimicum exegit Ulixem'

et loco satis quaesito Theb. VIII, 286 sqq.:

'Sicut Achaemenius solium gentesque paternas
Excepit si forte puer, cui vivere patrem
Tutius, incerta formidine gaudia librat,
An fidi proceres, ne pugnet vulgus habenis,
Cui latus Euphratae, cui Caspia limina mandet.
Sumere tunc arcus ipsumque onerare veretur
Patris equum, visusque sibi nec sceptra capaci
Sustentare manu nec adhuc implere tiaram.' [1])

---

1) Qua de re quae Eppelin l. a. p. 20 dicit: 'Hier aber tritt der Dichter gewissermaßen aus seiner Objectivität heraus. Die Klage bei Homer: *οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν* kann man nicht zur Entschuldigung anführen, insofern sie von den handelnden Personen selber ausgesprochen sich auf deren Zeit bezieht; und so ist auch die virgilische Nachahmung dieser Worte zu tadeln: Aen. XII, 899 sq.:

'Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus,'

Sed longe frigidior magisque a natura epici carminis aliena est vox 'si fas est credere,' Theb. II, 595, cujus tamen absurditatem vincit Theb. IV, 550 sq.:

'Qualis, si crimina demas,
Colchis et Aeaeo simulatrix litore Circe,'

ubi lectori quasi deducendi problema proponitur.

Aliae comparationes, quae nostrae aetatis judicio parum placent, Statio, quum minime ab ingenio antiquitatis abhorreant, vitio verti non possunt, velut Ach. I, 313 sqq.:

'Ut pater armenti quondam rectorque futurus,
Cui nondum toto peraguntur cornua gyro,
Quum sociam pastus niveo candore juvencam
Adspicit, ardescunt animi, primusque per ora
Spumat amor, spectant hilares optantque magistri.'

De hyperbolis, quum propius absint ab illa *αὐξήσει*, quam comparatione poëta efficere vult, non acturus hoc dico, nostrum in similibus, si a mythologicis discedimus, contra consuetudinem suam satis moderatum fuisse.

Jam vero de comparationibus per se solis disputandum est. Primum est notandum, Statium saepius, quam alios poëtas epicos usum esse iis comparationibus, quibus non ea, quae fiunt vel facta sunt, sed quae finguntur fieri vel facta esse, describuntur.[1]) Sed hujusmodi similia, praesertim

---

insofern dieselbe in nüchterner Reflexion des Dichters besteht,' non recte se habent, quum interdum illa verba sint poëtae, velut Hom. Il. XII, 380 sqq.:

Μαρμάρῳ ὀκριόεντι βαλών, ὅ ῥα τείχεος ἐντὸς
Κεῖτο μέγας παρ' ἔπαλξιν ὑπέρτατος οὐδὲ κέ μιν ῥέα
Χείρεσσ' ἀμφοτέρῃς ἔχοι ἀνήρ, οὐ δὲ μάλ' ἡβῶν,
Οἷοι νῦν βροτοί εἰσ'·

ibid. 447 sqq.:

Τὸν (sc. *λᾶαν*) *δ' οὔ κε δύ' ἀνέρε δήμου ἀρίστω*
Ῥηϊδίως ἐπ' ἄμαξαν ἀπ' οὔδεος ὀχλίσσειαν,
Οἷοι νῦν βροτοί εἰσ'·

Contra, quae de his vitiis disputat p. 20, prorsus mihi probantur.

1) Eppelin, qui l. a. p. 14 duas tantum ex hoc genere comparationes apud Vergilium legi dicit, fallitur; cf. eundem p. 25 et J. Jeep: 'De forma comparationum apud Vergilium grammatica' Brunsv. 1827 p. 24 sq., quo libello ut uti possem, L. Dauberi, scholarum praesidis, professoris et gymnasii Holzmindensis directoris, rara benignitate mihi contigit.

si iis idem atque enuntiato rem comparatam continenti subjectum est, quod plerumque fit, magis accedere ad orationem solutam magisque arte carere, quam usitatas nec perspicuitatem quaesitam requiemque, ut ita dicam, aeque assequi apparet, quia lectores ea, quae poëta posuit, meditari coactos demorantur. Haud raro autem poëta talem comparationem etiam usitata forma proferre potuit, sic Theb. II, 105 sqq.:

'Tu veluti, magnum si jam tollentibus austris
Ionium nigra jaceat sub nube, magister
Immemor armorum versantisque aequora clavi
Cunctaris'

dicere licuit: 'ut sit forte jacet,' quum ea, quae hic narrantur, non minus verisimilia sint, quam multa alia, quae in comparationibus fieri vel facta esse dicuntur. Loci, ubi tali simili proprium est subjectum, sunt hi: Ach. I, 299 sq. Theb. II, 105 sqq. 193 sqq. 236 sqq. III, 22 sqq. VI, 298 sqq. VII, 582 sqq. VIII, 237 sqq. X, 246 sqq. XI, 587 sqq., ex quibus tres tantum comparationes amplificatae sunt.

Contra persaepe Statius comparationibus conjunctis ad eandem rem illustrandam utitur, quae maxima ex parte breves sunt, cf. Theb. III, 356:

'Ceu turrem validam aut artam compagibus urbem,'

Theb. V, 349:

'Densarum pecudum aut fugientum more volucrum,'

Theb. VII, 709 sq.: 'Ceu letifer annus
Aut jubar adversi grave sideris,'

Theb. XI, 274:

'Ceu caelo demissa lues inimicave tellus,'

Theb. XI, 461:

'Ceu soror infelix pugnantum aut anxia mater,'

Theb. XII, 559:

'Ceu sator Eumenidum aut Lethaei portitor amnis;'

ex paullo verbosioribus affero:

Theb. I, 475 sqq.:

'Quanta (sc. fide) partitum extrema protervo
Thesea Pirithoo, vel inanem mentis Oresten
Opposito rabidam Pylade vitasse Megaeram,'

Theb. VI, 298 sqq.:

'Ceu praepete cursu
Confligant densae volucres aut litore in uno
Aeolus insonis statuat certamina ventis,'

Theb. XII, 728 sq.:

'Ventorum velut ira minor, nisi silva furentes
Inpedit, insanique tacent sine litore fluctus,'

praeter alias.

Sed singularum comparationum longitudo quum modum non excedat, haud raro plus duae conjunctae inveniuntur, ut jam supra quattuor vel quinque haud magnis inter se intervallis legi ostendimus,[1]) cf. Theb. IV, 794 sqq.:

'Sic tener Odrysia Mavors nive, sic puer ales
Vertice Maenalio, talis per litora reptans
Improbus Ortygiae latus inclinabat Apollo,'

Theb. IX, 328 sqq.:

'Non Anthedonii tegit hospitis inguina pontus
Blandior, aestivo nec se magis aequore Triton
Exerit, aut carae festinus ad oscula matris
Quum remeat tardumque ferit delphina Palaemon,'

Theb. XI, 42 sqq.:

'Ceu redeunt nubes, ceu circumflantibus austris
Alternus procumbit ager, ceu gurgite cano
Nunc retegit bibulas, nunc obruit aestus arenas,'

et imprimis Theb. VI, 405 sqq.:

'Quae tantum carbasa ponto
Quae bello sic tela volant, quae nubila caelo?
Amnibus hibernis minor est, minor impetus igni,
Tardius astra cadunt, glomerantur tardius imbres,'

quo loco quamquam res comparata vix clarius ante oculos poni potuit, tamen similium dimidio vel tardissimo satisfactum esset. Nec praeceptum, quod Vergilius prudenter est secutus,[2]) ut fortiorem longioremque comparationem post alias poneret, ne

---

1) Vergilius semel tres conjunxit (cf. Eppelin l. a. p. 28.)
2) cf. Eppelin l. a. p. 29.

ordine inverso tota imago debilitaretur et altera ejus pars supervacanea esse videretur, Statius semper observavit, cf. Theb. VI, 864 sqq.:

'Non sic ductores gemini gregis horrida tauri
Bella movent; medio conjunx stat candida prato
Victorem expectans, rumpunt obnixa furentes
Pectora, subdit amor stimulos et vulnera sanat.
Fulmineo sic dente sues, sic hispida turpes
Proelia villosis ineunt complexibus ursi,'

ubi primam comparationem gravissimam esse apparet. Nec talem legem, qualem Eppelin l. a. p. 28 Vergilium ipsum sibi praescripsisse docet, Statius sibi imposuit; comparationes enim ordiri post penthemimeridem (sexies), post hephthemimeridem (octies), post primum dactylum (octies), multis aliis medio in versu locis invenimus.

Nonnunquam ex compluribus rebus duae, quae inter se propinquae sunt, artius conjunguntur, ut Ach. II, 356:

'Ceu pecus armentumve aut viles messis acervos'

Theb. X, 915 sqq.:

'Stygias rupisse catenas
Japetum, aut victam supera ad convexa levari
Inarimen Aetnamque putes.'

Duabus comparationibus conjunctis ad diversas res illustrandas poëta raro utitur, cf. Theb. VI, 107 sqq.:

'Non sic eversa feruntur
Ismara, quum fracto boreas caput extulit antro,
Non grassante noto citius nocturna peregit
Flamma nemus,'

ubi primum arbores per totam silvam caesae, deinde, quam celeriter hoc factum sit, describitur; cf. etiam Theb. VIII, 407 sqq.

Consuetudinem epicam secutus Statius saepe in comparationibus pro genere utitur specie, qua re et perspicuitatem et gravitatem augeri consentaneum est. Sic in similibus a deorum vita moribusque petitis, terras, quae ab illis diligi colique dicebantur, respicit, velut Apollinem ex Lycia rever-

tentem (A. I, 165 sq.) et puerum Deli ludentem (Theb. IV, 795 sq.) facit. Ac semper, ubi in comparationibus Martem describit, etiam Thraciae mentionem facit varia ratione, cf. A. I, 484 sqq. (hasta Odrysia), Theb. II, 595 sqq. (Pelethronia pinus), Theb. IV, 794 (Odrysia nix), Theb. VI, 665 sqq. (arva Bistonia), Theb. IX, 437 sqq. (Strymon, Hebrus), Theb. XII, 733 sq. (Edoni, Haemi vertex); cf. praeterea Ach. I, 180 sq. (Castor — Eurotas), 484 sqq. (Minerva — Libyci angues), Ach. II, 159 sq. (Diana — Amyclae), Theb. II, 236 sqq. (Diana — Cynthus, Pallas — Aracynthus), Theb. IV, 794 sq. (Mercurius — Maenalius vertex).

Nec minus poëta, ubi bestias in comparationibus ponit, eas regiones, quae vel permultas vel magnitudine et ferocia insignes procreant, commemorat; est tamen notatu dignum, adjectiva illos locos significantia non cum bestiarum ipsarum, sed rerum aliarum nominibus fere semper conjungi.[1]) Sic plerumque leones africani describuntur:[2]) Theb. V, 330 sqq. (Massylus hostis), Theb. IX, 739 sqq. (mater Gaetula), Theb. II, 675 sqq. (oves Massylae), Theb. IV, 494 sqq. (Gaetula silva), Theb. VIII, 124 sqq. (ferrum Massylum), Theb. IX, 189 sqq. (Maura rura), Theb. X, 414 sqq. (venantes Numidae), Theb. XI, 27 sqq. (arva Massyla), aliquoties hyrcani: Theb. VI, 598 sqq. (avia Hyrcana); quin etiam duobus adjectivis utitur, cf. Theb. V, 203 sqq.:

'Non aliter Scythicos armenta per agros
Hyrcanae clausere leae' e. q. s.

Theb. VIII, 573 sqq.:

'Hyrcana leo Caspius umbra,'

Theb. V, 11 sqq.:

'Qualia trans Pontum Phariis defensa serenis
Rauca Paraetonio decedunt agmina Nilo' e. q. s.

Theb. XI, 437 sq. (Scytha pontus, Cyanei montes); cf. praeterea Theb. XI, 571:

---

1) Rectissime de his adjectivis dicit Markland ad Silv. V, 2. 49 (p. 360 ed. Sillig): 'Sed solitum hoc poëtis, qui saepissime arcessunt Epitheta a causa remotiori; deinde ita arcessita interventu Medii alicujus conjungunt cum re, de qua loquuntur, quasi proxima essent et nativa.'

2) cf. Hor. Od. I, 22. 15 sqq.: 'Jubae tellus leonum arida nutrix.'

'Si modo Agenorei stat Gnossia judicis urna,'

cum Theb. IV, 530:

'Arbiter hos dura versat Gortynius urna.'

Invenimus etiam praecipue tigres hyrcanas: Theb. X, 288 sqq. (Caspia tigris), Theb. XII, 169 sqq. (Hyrcana tigris), Theb. X, 820 sqq. (Scythicum antrum). Cf. praeterea: Theb. VIII, 533 sqq. (aper — Lucana cuspis), Theb. VII, 286 sq. IX, 858 sqq. (cygni — Strymon), Theb. X, 511 sq. (tauri — Pangaea); Theb. VIII, 545 (vitis — Gauranus mons[1])), Theb. VI, 854 sqq. (cupressus — vertex Alpinus), Theb. IX, 532 sqq. (quercus — Haemus Geticus); Theb. I, 419 sq. III, 317 sqq. VI, 107 sq. VIII, 407 sqq.[2]) X, 537 sqq.

Maris tumultus et tempestates plerumque ita describuntur, ut pro mari universo partes maxime infestae naufragiisque famosae ponantur, cf. Theb. II, 105 sqq. (magnum Ionium), Theb. III, 22 sqq. (fluctus Ionii), Theb. VI, 51 sqq. (trux Ionium); Theb. III, 432 sqq. (Aegaeum), Theb. III, 594 sqq. (sal Tyrrhenum), Theb. VI, 19 sqq. (Tyrrhena hiems, stagna Aegaea); cf. praeterea Theb. IV, 805 sqq. X, 622 sq. Itemque perquam saepe certorum ventorum fit mentio, cf. Theb. II, 193 sqq. VI, 107 sqq. 854 sqq. VII, 86 sqq. 560 sq. VIII, 423 sqq. XI, 42 sq. 114 sqq.

Semel comparatio ex duabus partibus constat, quarum quum sententia eadem sit prior illam universa, posterior singulari forma expressam continet, ut eadem quamquam duabus rationibus bis sint dicta,[3]) Ach. I, 555 sqq.:

---

1) cf. Silv. III, 1, 147: 'Gaurus nemorosus palmite Icario,' III, 5. 99: 'Bacchei vineta madentia Gauri,' Plin. h. n. III, 5.

2) Haud immerito Jul. Caes. Scaliger Poët. p. 715 (ed. 3) hunc locum ita vituperat: 'Ubi, quare Ausoniae fragorem posuit (sic!), potius, quam alius loci, nescio. Sane oportuit loci certum apponere, unde tonitrua ingruerent.' Sed conjectura, quam proponit, admodum incerta est.

3) Recte se habent, quae Orelli de hac re ad Hor. A. P. 29 dicit: 'Variare' autem, *ποικίλλειν*, est efficere, ut una (eadem) res sine necessitate ac sine lectoris oblectatione praebeat plures aspectus; in quod vitium haud raro inciderunt Ovidius, Seneca tragicus, Lucanus, Statius, qui eandem sententiam compluribus modis exprimunt variisque imaginibus,

'Quales jam nocte propinqua
E pastu referuntur apes, vel in antra reverti
Melle novo gravidas mitis videt Hybla catervas.'

Cujus loci quum permulti apud Statium persimiles inveniantur neque vero adhuc quisquam hanc variandi consuetudinem poëtae in disputationem vocaverit,[1]) omnes colligere et in genera digerere non inutile duxi.

I. Eadem notio vel sententia duabus rationibus profertur, quae fere nihil inter se differunt, cf. Silv. II, 1, 42:

'Sidereique orbes radiataque lumina caelo,'

ibid. 84 sqq.:

'Non omnia sanguis
Proximus aut serie generis demissa propago
Alligat'

Silv. II, 6, 1 sq.:

'Saeve nimis, lacrimis quisquis discrimina ponis
Lugendique modos,'

ibid. 2 (primaeva pignora — surgentes nati), Silv. IV, 2, 19 (superi caelumque), Silv. V, 1, 45 sq. (nuptus — taedae), ibid. 242 sqq. (solvit iter — invasitque vias), Silv. V, 3, 102 (voce soluta — effreno profatu), Ach. I, 401 (sine Marte, sine armis), Theb. I, 705 sqq. (iniquae Parcarum manus — fatum, quod ultra est — summo placitura Jovi), Theb. II, 610 (Dircaeus — Echionius), Theb. III, 626 (ventura — omne, quod ultra est), Theb. III, 645 (Aonia — diri novalia Cadmi), Theb. IV, 356 sqq.:

'Ipsa vetusto
Moenia lassa situ magnaeque Amphionis arces
Jam fessum senio nudant latus'

Theb. XII, 764 (neci — misimus umbris).

II. Verba duo vel enuntiationes, quibus una res vel sententia significatur, ita inter se differunt, ut aliqua res nova

---

plerumque quaesitis, exornare student, quo scilicet omnes, qui legant, poëtarum ingenium admirentur, immo stupeant.'

1) Mirum est, Handium et Grossium, quum diligenter in repetitiones inquisiverint, ad hunc finitimum locum, certe non minus notandum, animum non attendisse.

posteriori addita sit vel sententia sequentibus plenius exponatur, id quod Markland ad Silv. IV, 3, 5 'dilatationem' vocat; cf. Silv. II, 1, 3 sq.:

'Abruptis etiamnunc flebile venis
Vulnus hiat magnaeque patet via lubrica plagae,'

ibid. 97:

'Quid te post cineres deceptaque funera matris' e. q. s

Silv. II, 2, 26 sq.:

'Mira quies pelagi, ponunt hic lassa furorem
Aequora,'

ibid. 30 sq.:

'Inde per obliquas erepit porticus arces
Urbis opus, longoque domat saxa aspera dorso,'

ibid. 45 sq.:

'Haec domus ortus
Adspicit et Phoebi tenerum jubar'

Silv. II, 7, 14:

'Et si qua patet aut diem recepit,'

Silv. III, 1, 88:

'Non cepere fores, angustaque deficit aedes.'

Silv. IV, 3, 4 sqq.:

'Certe non Libycae sonant catervae,
Nec dux advena perjerante bello
Campanos quatit inquietus agros,'

ibid. 46 sq.:

'Ne nutent sola, ne maligna sedes
Et pressis dubium cubile saxis,'

ibid. 50:

'Hi caedunt nemus exuuntque montes,'

Silv. IV, 7, 13 sq.:

'Ubi Dite viso
Pallidus fossor redit erutoque
Concolor auro,'

Silv. V, 1, 37 sq.:

'Notat ista deus, qui flectit habenas
Orbis et humanos propior Jove digerit actus,'

ibid. 52 sq.:

'Quae morum caruere bonis falsoque potentes
Laudis egent verae,'[1])

Silv. V, 2, 13 sq.:

'Sed angustis animus robustior annis,
Succumbitque oneri et mentem sua non capit aetas,'

Silv. V, 4, 5 sq.:

'Occidit horror
Aequoris, et terris maria acclinata quiescunt,'

Ach. I, 426 sq.:

'Nusquam umbrae veteres, minor Othrys, et ardua sidunt
Taygeta, exuti viderunt aëra montes,'

ibid. 524 sq.:

'Tandem fessa tremens longis mugitibus ora
Solvit, et oppositum vox eluctata furorem est,'

Ach. II, 190 sq.:

'Ut — lux aemula vultum
Reddidit et simili se tandem vidit in auro,'[2])

ibid. 354 sq.:

'Quis enim inlicitis genialia rumpi
Pacta dolis facilique trahi conubia raptu — perferat,'

Theb. I, 550 sq.:

'Frustraque sonantia lassant
Ora canes umbramque petunt et nubila latrant,'

Theb. II, 510 sqq.:

'Collustrat campos, si quis concurrere dictis
Hospes inexplicitis aut cominus ire viator
Audeat et dirae commercia jungere linguae,'

Theb. III, 120:

'Fervet iter gemitu, et plangoribus arva reclamant,'

---

1) Quae Imhof: 'De Silvarum Statianarum condicione critica' Hal. 1859 p. 14 dicit: 'Suo more eandem sententiam Statius bis expressit et negando et affirmando,' mihi non omnino probantur; satis enim raro poëta hac dicendi ratione utitur.

2) Quum adjectivo 'similis' significationem activam ('imitans' vel simile reddens') nunquam esse meminerim, fortasse scribendum est: 'similem,' aut locus non explicari potest nisi interpretatione admodum coacta.

qui locus nos Hebraeorum quem vocant parallelismi membrorum commonefacit; Theb. IV, 695 sq.:

'Nocturnaque furta licentum
Cornipedum et cupidas Faunorum arcebo rapinas,'

Theb. VI, 69 sq.:

'Ceu grande exequiis onus atque immensa ferantur
Membra rogo,'

Theb. VIII, 189 sq.:

'Poterisne reverti
Sedibus a Stygiis altaque erumpere terra?'

ibid. 381 sq.:

'Jamque in miseros pensum omne sororum
Scinditur et Furiae rapuerunt licia Parcis,'

Theb. IX, 321 sq.:

'Cui prima dies in gurgite fido
Et natale vadum et virides cunabula ripae,'

Theb. X, 280 sqq.:

'Ut quemque ligatum
Infelix tellure sopor supremaque nubes
Obruerat,'

Theb. XI, 447 sq.:

'Cunctataque primo
Substitit in scelere et paulum fortuna morata est.'

III. Hac ubertate poëta interdum ideo utitur, ut vitet duorum adjectivorum vel genetivorum cum uno substantivo conjunctionem, cf. Silv. V, 2, 131:

'Nubigenas clipeos intactaque caedibus aera,'

Theb. IV, 466 sq.:

'Semineces fibras et adhuc spirantia reddit
Viscera,'

vel ejusdem verbi cum duobus objectis conjunctionem, cf. Theb. VIII, 279 sqq.:

'Quicum ipse arcana deorum
Partiri et visas uni sociare solebat
Amphiaraus aves,'

Theb. XI, 710:

'Da veniam afflicto dictisque ignosce superbis.'

IV. Ubi in oratione soluta pronomen demonstrativum poni solet, Statius saepe simili voce utitur, cf. Theb. I, 94 sq.:

'Per umbras
Et caligantes animarum examine campos,'

Theb. I, 353 sq.:

'Nec non abrupta tremescunt
Fulgura, et attritus subita face rumpitur aether,'

Theb. II, 48 sqq.:

'Hoc, ut fama, loco pallentis devius umbras
Trames agit nigrique Jovis vacua atria ditat
Mortibus,'

Theb. VIII, 232 sq.:

'Alii Tyriam reptantia saxa
Ad chelyn et duras animantem Amphiona cautes,'

Theb. IX, 809 sq.:

'Maenalius Dorceus, cui bella suumque timorem
Mater et audaces pueri mandaverat annos,'

Theb. XII, 161 sq.:

'Nomina, quod superest, vacuis datis orba sepulcris
Absentesque animas ad inania busta vocatis,'

V. Ea, quae adduntur, ἐπεξηγήσει, quam vocant, dicta sunt, ut nonnunquam paene appositionis vice fungi videantur, cf. Silv. II, 1, 53 sq.:

'Atque genis optatus honos jurataque multum
Barba tibi,'

Siv. III, 4, 47 sq.:

'Jam Latii montes veteresque penates
Evandri,'

ibid. 74 sq.:

'Nunc frangere sexum
Atque hominem mutare nefas,'

Silv. IV, 4, 23 sq.:

'Anne metalliferae repetit jam moenia Lunae
Tyrrhenasque domos,'

Silv. V, 3, 225 sq.:

'Hei mihi, quod tantum patrias ego vertice frondes
Solaque Chalcidicae Cerealia dona coronae' e. q. s.,

Ach. I, 125:

'Pauperibus tectis inducit et admovet antris,'

Theb. V, 572:

'Perque jubas stantes capitisque insigne corusci,'

Theb. VI, 575 sq.:

'Tunc Palladios non inscius haustus
Incubuit pinguique cutem fuscatur olivo,'

Theb. VIII, 234 sqq.:

'Illi Cythereia laudant
Conubia et multa deducta lampade fratrum
Harmonien,'

ibid. 358 sq.:

'Qualis ubi adversi secretus pabula caeli
Nilus et Eoas magno bibit ore pruinas' e. q. s.,

Theb. X, 796 sq.:

'Non ego monstrifero coitu revoluta notavi
Pignora, nec nato peperi funesta nepotes,'

Theb. XII, 606:

'Metus Libycos servatricemque Medusam,'

ibid. 667 sq.:

'Centum urbes umbone gerit centenaque Cretae
Moenia.'

VI. Denique poëta hac repetitione utitur ad tempus quoddam gravius significandum, cf. Silv. V, 4, 7 sqq.:

'Septima jam rediens Phoebe mihi respicit aegras
Stare genas; totidem Oetaeae Paphiaeque revisunt
Lampades, et totiens nostros Tithonia questus
Praeterit' e. q. s.,

Theb. VI, 238 sqq.:

'Roscida jam novies caelo dimiserat astra
Lucifer, et totidem Lunae praevenerat ignes
Mutato Nocturnus equo.'

Multis eorum quos attuli locis poëtam illis additamentis ea, quae antea obscure dixit, planiora reddere voluisse apparet, qua re non majorem pulchritudinem et voluptatem carminibus paravit, quam illa ubertate et copia, cujus causa saepissime non intellegitur.

Sed jam redeamus ad propositum. Universum poëtarum morem secutus Statius in comparationibus ea, quae homines sentiunt vel agunt, rebus tum animantibus tum inanimis tribuit, cujus rei causa non modo maxima, quae inter hominum et animalium naturam intercedit, similitudo est vel quasi recordatio illius antiquorum opinionis, qua olim fere omnia finxerant animantia, sed poëta saepe hoc facit, quo major inter rem comparatam et comparationem congruentia et clarior evadat; cf. Ach. I, 214 (volucris cogitat angues), Ach. II, 184 (leonem timido pudet servisse magistro), Theb. VIII, 617 (hirundines putant), Theb. IX, 858 (olor cupit hiscere terram), Theb. X, 288 (tigris dolet defecisse famem), Theb. XI, 741 (leo meminit sui), Theb. XII, 605 (taurus dissimulat gemitus et vulnera pulvere celat); Ach. I, 237 sqq:

'Illum non alias rediturum ad Thessala Tempe
Jam tristis Pholoë, jam nubilus ingemit Othrys
Et tenuis Sperchios aquis speluncaque docta
Muta senis,'

Theb. III, 597 (sperat tellus), Theb. V, 330 (ager, amnes queruntur), Theb. V, 579 (ager gemit), Theb. VIII, 203) amnes, laurus volent arescere), Theb. VIII, 465 (uterque amnis superbus ire cupit — descendere negant), Theb. VIII,545 sqq.:

'Sic ulmus vitisque, duplex jactura coloni,
Gaurano de monte cadunt, sed moestior ulmus
Quaerit utrumque nemus, nec tam sua brachia labens,
Quam gemit assuetas invitaque proterit uvas,'

quem pulcherrimum locum a poëta hujus aetatis profectum esse putes, cf. Silv. V, 1, 48 sqq.; Theb. IX, 91 (rupi non de caelo metus, timet eam pontus), Theb. IX, 189 (gaudet ager). Theb. IX, 532 (illam nemus et mons tremiscit), Theb. X, 503 (nemus, ripa, gurges flebit), Theb. XI, 251 (horret ager), Theb. XII, 169 (auditu turbatur ager), Theb. XII, 356 (leaena territat agros).[1]) Nec silentio praetermittendi sunt propinqui illi loci, ubi poëta figura, quam ἀποστροφὴν

1) Silv. II, 2, 93 similesque loci huc pertinere non videntur, cf. quae recte exposuit Markland ad Silv. I, 3, 56.

vocant, usus res alloquitur, cf. Silv. I, 3, 66 sqq. 81 sq., I, 5, 8 sq. 11 sqq. II, 1, 83 sq. II, 2, 107 sqq. II, 3, 43 sqq. 62 sqq. II, 7, 131. Ach. I, 421. Theb. I, 625. II, 460 sq. III, 64. 211. 439. IV, 371. VII, 345. 370. IX, 347. 818.[1])

Jam vero pauca de iis addantur, quibus Statius in comparationibus de animalibus petitis probabilitatem et veritatem neglexit, ut hoc ejus vitium notissimum, in quod saepe delabitur, in uno comparationum genere demonstretur. Serpentium naturam Statium vix novisse comprobatur Theb. II, 411 sqq., ubi venenum per totum hujus bestiae corpus diffusum esse dicit et Theb. XI, 314, ubi anguem 'iras sui veneni,' antequam momordit, bibentem facit, quamquam tum demum, quum mordet, illud prodire constat. Sed sola temeritate gruibus nandi facultatem tribuisse videtur Theb. V, 15; quem locum etiam ob aliam causam, quae mihi non probatur, Scaliger Poët. p. 706 vituperat. Rectius autem Theb. X, 820 sqq. idem p. 694 eo reprehendit, quod 'armenta nulla illis locis pascuntur.' Nec major est probabilitas Theb. XI, 27 sqq., ubi Statius 'Massyla per arva' ursos et lupos vagantes facit, nisi forte lupi pro canibus aureis dicti sunt. Etiam Theb. VIII, 594 sqq. et X, 820 sqq. nonnulla leguntur, quae a natura illarum bestiarum aliena esse videntur.

Restat, ut de comparationum interpolationibus dicamus, quas satis raras esse judicabimus, si frequentiam similium perpenderimus et reputaverimus, quo studio per totum medium aevum Statii carmina lecta sint, id quod clarissime codicum multitudo demonstrat. Certe spurii sunt hi tantum loci: Theb. V, 529 sqq. VI, 227—233. 409. 719—721. Praeterea O. Mueller Guietum secutus rejicit Theb. VI, 51 sqq., quia hi versus in Puteaneo desunt; quae causa vix sufficit, quum in Bambergensi, cujus auctoritatem Puteanei inferiorem esse nondum comprobatum est, legantur et comparatio ipsa satis com-

---

1) Recte Markland dicit ad Silv. IV, 3, 137: 'Observavi autem has apostrophas frequentissimas esse, ubi de fluviis sermo est,' sed parum verisimilia sunt, quae addit: 'et ob hanc, opinor, rationem, quia pro numinibus sive personis ii sumendi sunt;' locis ibi allatis adjici possunt Theb. IV, 117. 239. VII, 340. 424.

moda et elegans sit. Sed alia hujus loci difficultas superest a Muellero non notata, quod particula 'quoque' sensu caret illiteratique librarii manum redolet. Nec tamen idcirco omnes illi versus exterminandi sunt, praesertim quum alio loco adhuc a nemine tentato, Silv. I, 4, 77 haec particula eandem afferat difficultatem.[1])

Caput II.

Etiamsi in grammatica comparationum forma nihil Statio proprium vel singulare esse scio, tamen eam quoque exponere institui, ne laborem satis molestum omnes locos colligendi evitasse et libellum imperfectum reliquisse videar. Hic earum quoque comparationum, quae in Silvis leguntur, rationem habui, quum grammatica forma fere nihil ab altero genere distent.

Si ea, quae in comparatione narrantur, vel fiunt vel fieri solent vel facta sunt, indicativus locum habet; sed quum nullius fere momenti esse ducam, indicare, ubi Statius praesenti aut perfecto aut imperfecto[2]) utatur, quia hoc discrimen in medio est positum, satis habeo unum locum afferre, in quo futurum invenimus, Silv. V, 1, 33 sqq.:

'Citius genetrix Sipylea feretur
Exhausisse genas; citius Tithonida moesti
Deficient rores, aut exatiata fatiscet
Mater Achilleis hiemes affringere bustis,'

---

1) De ostentis, quae Statius narrat, eorumque interpretationibus, quamquam comparationem continent et a quibusdam, ut a Remaclio, annumerata sunt comparationibus, nihil disputo, quum a veri similis natura abhorrere ea censeam. Prorsus autem, ne cui imprudens multa omisisse videar, ea tantum in capite primo me commemorasse dico, quae Statii propria esse putavi.

2) Quum Jeep. l. a. nihil de imperfecto dicat, Vergilius hoc tempore in comparationibus non usus esse videtur; apud Statium tamen haud raro legitur, cf. Silv. IV, 2, 50 sq. V, 2, 48 sqq. 118 sqq. 150 sq. V, 3, 172 sqq. 290 sqq. Ach. I, 484 sqq. 588 sqq. alia.

qua comparatione certam rem fieri non posse simili ratione describitur, ac Verg. Aen. XII, 206 sqq.:

'Ut sceptrum hoc — dextra sceptrum nam forte gerebat —

Numquam fronde levi fundet virgulta nec umbras' e. q. s.

Ea tantum similia addo, quorum temporis ratio insolita est. Invenimus enim interdum praesens perfecti loco, velut Theb. IV, 139 sq.:

'Duplex Hylaeus ab antro
Praecipitat (pavet Ossa) vias,'

ibid. 782 sqq.:

'Qualis Berecyntia mater
Dum parvum circa jubet exultare Tonantem
Curetas trepidos; illi certantia plaudunt
Orgia, sed magnis resonat vagitibus Ide,'

Theb. VII, 638 sq.:

'Ceu nondum anima defectus utraque
Quum sua Centaurus moriens in terga recumbit,'

Theb. VIII, 212 sqq.:

'Sic fortes Minyas subito quum funere Tiphys
Destituit, non arma sequi, non ferre videtur
Remus aquas, ipsique minus jam ducere venti,'

Theb. IX, 220 sqq.:

'Semifer aëria talis Centaurus ab Ossa
Desilit in valles, ipsum nemora alta tremiscunt,
Campus equum;' [1])

---

1) Inter hos locos etiam Theb. I, 485 sqq. numerandus esset, si 'vestitur', quod duo optimi codices exhibent, recte sese haberet, quae tamen lectio, praeterquam quod a consuetudine communi sermonis recedit, eo quoque suspicionem movet, quod in Puteaneo supra scriptum est 'us'. O. Mueller hac correctione locum persanatum se demonstravisse putat locis nonnullis allatis, qui nihil huc pertinent. Primum enim nunquam eodem modo atque 'induere', verbum vestiendi cum accusativo conjungitur, id quod jam Lachmann notavit; deinde vero etiamsi illa constructio recte se haberet vehementer dubitaverim, num in enuntiatione relativa dici potuerit 'quem vestitus est', cujusmodi exempla Mueller non attulit, certe quia non invenit. Prorsus autem si atine diceretur 'vestior aliquam rem', lectio recepta non egeret Puteanei emendatione, quoniam 'vestitus' (sc. est)

qua temporum mutatione et ipsa comprobari puto, quod supra suspicatus sum (pag. 10), Statium in nonnullis comparationibus formandis tabulas illo tempore celebratas ante oculos habuisse. Minus notabile praesens propter ἀποστροφὴν est Theb. II, 474. Etiam pro praesenti perfectum legitur, cf. Theb V, 203 sq.:

'Non aliter Scythicos armenta per agros
Hyrcanae clausere leae,'

Theb. VI, 114 sq.:

'Ut cum possessas avidis victoribus arces
Dux raptare dedit, vix signa audita,'

sed paullo post praesens legitur ('ducunt sternuntque abiguntque feruntque'),

Theb. VII, 439 sq.:

'Tunc mollior unda
Tunc faciles saltus, visaeque accedere ripae;'

quorum locorum primus ut facile ita explicatur, ut ex permultis rebus similibus, quae jam usu venerunt, unam esse excerptam sumamus, sic in aliis, cur poëta tempus mutaverit, non aeque liquet. Aliter res se habet Theb. VII, 627:

'(Ventus) mox rapuit nemus et montes patefecit opacos,'

ubi perfecto celeritas significatur.

Conjunctivo utitur poëta, ubi rem quandam fieri vel factam esse statuit. Tales vero comparationes satis rarae sunt, cujus rei Jeep. l. a. p. 26 recte eam esse causam dicit, quod 'comparationes, quae rei illustrandae inserviant, melius ab iis petuntur, quae re vera sunt, quam quae esse tantum cogitantur.' Sed quae idem p. 25 sq. dicit, conjunctivi tempore mutato etiam sententiam mutari, non accipio, quum saepenumero ei legi, quam constituit, contrariam sententiam existere videamus vel aeque bene aliud tempus, quam quo poëta utitur, si Jeepii praeceptum recte se haberet, locum habere posse appareat. Ne tamen talium exemplorum multitudine molestus sim, solam legem, quam Statius secutus est, esse dico quam

---

non minus est tempus finitum, quam 'vestitur', neque in praesenti offendendum esset, quum similia, ut supra docui, aliquotiens legantur. Nec Lachmanni quidem conjectura propter audaciam satisfacit.

vocant consecutionem temporum. Quam quum perraro non observaverit, tamen cur fecerit, singulis locis intellegitur. Neglecta enim esse videtur illa lex Theb. VIII, 237, ubi legitur 'ceu ostenderet,' quamquam, quae antecedunt, praesenti tempore dicta sunt ('deest', 'laudant'), sed haec difficultas eo tollitur, quod illa praesentia sunt quae vocantur historica. Qua explicatione quod carent tres loci Ach. II, 295 sqq. ('rediit, ceu-descendat'), Theb. VII, 680 sq. ('ceu-moretur, reliquit') Theb. X, 245 sqq. ('quievit, non aliter quam si — premat'), ubi re vera illud praeceptum est violatum, non mirabitur, qui, quam neglegenter et licenter quum alibi tum in enuntiationibus condicionalibus Statius sit usus temporibus, novit; cf. praeter locos (Theb. X, 490 sq. XI, 482. 628 sq.), quorum similes etiam apud alios scriptores saepe inveniuntur, Theb. IX, 254 ('ni fata vetent'), X, 815 ('diceret — abducunt'), alios. Quae licentia poëtae sive inconstantia eo quoque cognoscitur, quod saepe in comparationibus duobus temporibus utitur. Sic inter praesentia invenimus perfecta Theb. II, 323 sqq. ('redit — fractae quercus — cupit — poscit — pavet — agnovere') VI, 451 sqq. ('ruit — respicit — projecit'), ibid. 880 sqq. ('latet — reddidit'), VII, 804 sqq. ('cavet — recondit — fecere'), VIII, 286 sqq. ('librat — veretur — visus'), IX, 242 sqq. ('fugit — stipantur — emersi'), X, 170 sqq. ('elicit — vetat — quatit — rotat — exanimat — pavet — erexere'); Ach. I, 372 sqq. Theb. V, 704 sqq. XI, 310 sqq.; certa de causa, cujus causae supra jam mentionem feci, perfectum videtur esse positum Theb. IX, 27 sqq. ('subtexunt — ruunt — sonat — cessere') et XI, 520 sqq. ('frangunt — mutant — sedere').[1]) Ach. I, 212 sqq. ('vix stetit in ramis et protinus arbor amatur') alius generis sunt, quum haec *παρατακτικῶς*, ut verbo utar, dicta esse appareat (='ubi primum stetit, protinus arbor amatur'). Deinde etiam perfectis praesentia admiscentur, cf. Theb. VI, 893 sqq. ('raptus — nec licet'), XI, 234 sqq. ('ingemuit — furit'), XII, 413 sqq. ('lavere — conditus — stant'). Theb.

1) cf. Theb. VIII, 358 sqq. 461 sqq. XI, 27 sqq.

XII, 270 sqq. etiam imperfectum et praesentia componuntur. Alibi quoque in eadem enuntiatione tempora mutantur,[1]) cf. Theb. VIII, 412 sq. ('exclusere — stant — sufficit'), IX, 140 sq. ('abduxere — retrahunt'), ibid. 481 sqq. ('abstulit — nec saevit'), ibid. 485 sqq. ('flexit — refert'), X, 848 sq. ('dixit — surgit'); Theb. VIII, 528 sq. ('prohibet — praebuit — parcit'), ibid. 606 sq. ('insurgunt — rediere'), IX, 270 ('manet — rediit'), ibid. 498 sqq. ('solvitur — injecit'); Theb. VIII, 642 ('videt — vocabat'), ibid. 579 sqq. ('timuit — ausus erat'); Silv. I, 2, 135 sq. ('sumeret — cecidisset'), II, 1, 110 sqq. ('putares — mutaret — pensaret — laudaret — fregisset'), III, 5, 8 sqq. ('fugares — negasses'), V, 1, 168 ('gemeret — posuissent'); Ach. II, 64 ('annuerint — secundent', cf. Silv. IV, 2, 59 sq.: 'annuerint; des — habites'). Silv. V, 2, 166 sq. ('perferre — cingi — insedisse').

Modos vero in comparationibus poëta perraro mutavit, cf. Theb. VI, 19 sqq. ('explorant — discunt — inrumpere — quaerere'), Theb. III, 22 sqq. conjunctivus 'malit' non est notabilis.[2])

Jam vero disputandum est de ratione, qua Statius comparationes inseruit.[3]) Primum res comparata et comparatio particula comparativa carere possunt; nec tamen hac ratione

---

1) Tales 'enallagas' etiam apud Vergilium non raras esse, annotaverunt Heyne ad Verg. Aen. VII, 459 Wagner ad Verg. Aen. IX, 9, V. L.

2) Copulam, quae etiam in nonnullis exemplorum allatorum deest, Statius fere semper in 3 pers. sing. et plur. perf. pass. omisit.

3) Locos, ubi comparationis verbum ex iis, quae antecedunt, intellegendum vel ei communis est cum enuntiatione, qua res comparata continetur, non affero, quum inutile ducam. — Jeep, qui l. a. p. 28 Vergilium Aen. XI, 648 particulam comparativam omisisse putat et hanc perraram comparationis formam esse dicit, fallitur, quoniam ille locus non in comparationum, sed translationum numerum ascribendus est; cf. Remacly part. II et quos ille laudat, Aristot. Rhet. III, 4 init.: *ἔστι δὲ καὶ ἡ εἰκὼν μεταφορά· διαφέρει γὰρ μικρόν· ὅταν μὲν γὰρ εἴπῃ τὸν Ἀχιλλέα „ὡς δὲ λέων ἐπόρουσεν,“ εἰκών ἐστιν, ὅταν δε λέων ἐπόρουσε“, μεταφορά*, et Quint. Instit. or. VIII, 6. § 8. 9. Ceterum locus Vergilianus, quam propinquae inter se illae duae figurae sint quamque facile ab altera ad alteram transeatur, optime ostendit.

poëta nisi in Silvis, ut Vergilius nunquam in Aeneide,[1]) utitur, Silv. II, 6, 18 sqq.:

'Gemit inter bella peremptum
Parthus equum, fidosque canes flevere Molossi,
Et volucres habuere rogum cervusque Maronis,'

et duobus locis ita, ut particulae comparativae vice enuntiatio singularis fungatur, Silv. III, 3, 56 sqq.:

'Et modo si fas est aequare jacentia summis,
Pertulit et saevi Tirynthius horrida regis
Pacta, nec erubuit famulantis fistula Phoebi,'

et Silv. III, 5, 44 sqq.:

'Heu ubi nota fides totque explorata per usus,
Qua veteres Latias Grajasque Heroidas aequas?
Isset ad Iliacas — quid enim deterret amantes? —
Penelope gavisa domos, si passus Ulixes.
Questa est Aegiale, questa est Meliboea relinqui,
Et quamquam saevi fecerunt maenada planctus,'[2])

quae comparatio merito exemplum vocari potest. Apud poëtas lyricos talia similia passim legi notissimum est, cf. Tib. I, 4, 16 sqq.:

'Paulatim sub juga colla dabit.
Longa dies homini docuit parere leones
Longa dies molli saxa peredit aqua,
Annus in apricis maturat collibus uvas
Annus agit certa lucida signa vice,'

Prop. II, 1, 39 sqq.:

'Sed neque Phlegraeos Jovis Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus,

---

1) Ex locis Vergilianis, quos Jeep l. a. p. 30 affert, nonnulli parum conveniunt.

2) R. Unger 'P. Papinii Statii ecloga ultima' Nov. Strel. 1868 p. 160 hunc locum, qui mihi et ipsi corruptelae suspicionis expers non videtur esse, ita se persanasse putat:

'Questa est se Pelias, questa est (Meliboea) relinqui,
Et quanti Iphiadem fecerunt Maenada planctus,'

quae conjectura, cui placeat, sciam, nec mihi bene talium hariolationum auctor aliis, ut Muellero, juvenilem audaciam exprobrare videtur.

Nec mea conveniunt duro praecordia versu
Caesaris in Phrygios condere nomen avos.
Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor aves
Nos contra' e. q. s.

II, 5, 19 sqq. IV, 10, 5 sqq. (cf. Hertzberg l. a. p. 146); Ovid. Amm. I, 9, 35 sqq.:

'Hector ab Andromaches complexibus ibat ad arma,
Et galeam capiti quae daret, uxor erat.
Summa ducum, Atrides, visa Priameide fertur
Maenadis effusis obstipuisse comis.
Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit:
Notior in caelo fabula nulla fuit.
Ipse ego segnis eram' e. q. s.

ibid. II, 8, 11 sqq. A. A. I, 45 sqq. Trist. I, 1, 75 sqq. 83 sqq.[1])

Deinde ea, quae comparantur, particula comparativa sunt destituta; si illa sunt priore loco posita, comparationes his rationibus adjunguntur: talis: Silv, II, 1, 179. IV, 4, 35. V, 3, 220. Theb. V, 390. IX, 220.[2])

talis ubi: Silv. IV, 2, 53. Ach. I, 615.

qualis (qualis quum, qualis ubi): Silv. II, 2, 34. II, 6, 30. 42. III, 1, 73. III, 3, 128. IV, 3, 90. V, 1, 202, V, 3, 16. Ach. I, 165. 180. 212. 555. Theb. I, 105. II, 150. 563. III, 56. 432. IV, 494. 550. 782. V, 11. 165. VI, 665. 716. VII, 286. VIII, 255. 358. 533. 750. IX, 82. 141. 532. X, 622. 849. XI, 234. 318. 443. 644. 741. XII, 270. 650. 787. 790.

qualiter: Silv. V, 1, 48. 151. V, 2, 150. Ach. I, 372. Theb. I, 193. VIII, 461. IX, 401.

---

1) Ftiam apud tragicos poëtas graecos haec comparationum forma haud raro invenitur. — Comparationes hujus generis, quum a nonnullis exempla vocari soleant, tamen re vix differunt ab aliis, cf. Remacly l. a. cap. VIII.

2) Eam legem, qua Vergilius breviores tantum comparationes hoc vocabulo adjunxit (cf. Wagner V. L. ad. Verg. Aen. IX, 710), Statius non est secutus.

quantus: Silv. I, 1, 44. I, 2, 115. II, 6, 37. Ach. I, 293. Theb. I, 475. III, 594. X, 511.

quantus non: Theb. VI, 806.

non tantus: Ach. I, 224. Theb. VI, 253. VII, 407. IX, 437.

quae tantum: Theb. VI, 405.

sic (sic ubi, sic quum): Silv. I, 2, 203. 242. I, 3, 31. II, 1, 88. II, 6, 46. V, 1, 242. V, 2, 48. V, 3, 172. Ach. I, 344. 459. 484. 588. Theb. II, 165. IV, 24. 705. 794. 805. V, 330. 425. 704. VI, 320. 578. 685. 799. 893. VII, 139. 393. VIII, 212. 267. 545. 573. 617. IX, 189. 360. X, 42. 170. 373. 458. 574. 646. 820. XI, 251. XII, 15. 413. 739.[1])

non sic: Silv. I, 4, 41. I, 6, 41. III, 5, 57. V, 1, 113. Theb. VI, 107. 864. IX, 115.

ut (ut quum, ut si quando): Silv. III, 3, 130. IV, 5, 27. Ach. I, 313. II, 184. Theb. I, 479. II, 553. 675. III, 604. 671. IV, 69. VI, 114. 483. VII, 86. 223. 625. VIII, 124. 423. IX, 739. X, 414. 864. XI, 27. 114. 310. 520. XII, 601.

sicut: Theb. VIII, 286.

velut (velut quum, veluti si): Silv. I, 4, 120. II, 3, 59. IV, 9, 46. V, 1, 122. Ach. I, 277. II, 72. Theb. II, 105. 411. IV, 315. 363. V, 723. VI, 451. VII, 477. VIII, 369. 594. 658. X, 862. XI, 193. XII, 224. 433. 728.

ac velut quum: Theb. V, 599.

ac velut si: Theb. VII, 436.

ceu (ceu quum): Silv. I, 1, 39. I, 3, 22. II, 3, 4. II. 5, 26. III, 1, 6. IV, 3, 105. V, 1, 46. 218. V, 2, 5. 69. Ach. II, 209. 356. Theb. II, 418. III, 356. IV, 95. 737. V, 5. 86. VI, 20. 69. 298. 522. 715. VII, 560. 638. 680. 709. VIII, 209. 237. 392. 565. 587. IX, 44. 67. 91. 373. 508. 523, X, 13. 265. 379. 480. 758. 794. 854. XI, 7. 42. 274. 284. 461. 529. 561. 674. XII, 107. 515. 559.

---

1) cf. Markland ad Silv. I, 2, 242.

non secus (non secus ac si, non secus ac — ubi, non secus quam si): Silv. I, 2, 159. Theb. II, 236. III, 255, VI, 186. X, 182. 619. XII, 169.
non secius: Silv. II, 6, 82.
non aliter (non aliter quam si): Silv. IV, 2, 46. Theb. IV, 139. V, 203. VI, 598. VII, 790. IX, 27. X, 246.
haud aliter (haud aliter quam quum): Silv. III, 3, 179. Theb. III, 45. 140. VI, 880. XII, 66.
par: Ach. I, 299.
aequus: Ach. II, 135. Theb. I, 535. III, 13. IX, 214.
nec degener: Theb. VI, 337.
ocior: Theb. VI, 386. 521. 602. XI, 483.
non ocius: Theb. III, 317.
citius: Silv. II, 1, 8. V, 1, 33.
non citius: Silv. I, 4, 112.
non altior: Silv. I, 1, 18.
non blandior: Theb. IX, 328.
non crebrior: Theb. VI, 422.
non fidelior: Silv. II, 6, 56.
nec clarius: Theb. III, 188.
non fortius: Theb. VIII, 82.
non mollius: Theb. VI, 51.
non saevius: Theb. V, 621. X, 76.
non (nec) plura: Theb. II, 165. XII, 478.
instar: Theb. I, 419.
in speciem: Theb. I, 485.
more: Theb. V, 439. VII, 402. VIII, 71.
quo ex more: Silv. V, 2, 156.
in morem: Theb. V, 593.

Interdum post longiores potissimum comparationes poëta, ut redeat ad id, unde devertit, rei comparatae iterum mentionem facit particula comparativa usus, cf. Silv. IV, 6, 51 (qualis — sic), Ach. II, 30 (ceu — sic), Theb. I, 370 (ac velut — talis), Theb. II, 325 (velut — non alius), Theb. II, 469 (sic — talis), Theb. III, 22 (ac velut — talis), Theb. III, 330 (sic — talis), Theb. VII, 804 (sic ubi — talis), Theb. IX, 460 (instar — non secus), Theb. X, 228 (sic — talis).

Ea forma, ut res comparata sine particula comparativa comparationem sequatur, Statius nunquam est usus, ac duo tantum ex locis Vergilianis, quos Jeep hujusmodi esse censet, huc pertinent, Ecl. V, 32 sqq. et Georg. II, 279 sqq., quum in aliis pars ejus enuntiationis, qua res comparata continetur, etiamsi unum est verbum, comparationi praeposita sit, ut hanc ipsam insertam esse eluceat; sed ne horum quidem similes loci apud Statium inveniuntur, nam solius, qui hujus generis esse videbatur, Theb. II, 105 sqq. distinctionem Lachmann correxit; omnino digna, quae legantur, de distinctione, qua in permultis comparationibus utendum est, exposuit Wagner V. L. ad Verg. Aen. I, 148 et V. L. ad Georg. I, 303.

Deinde et comparatio et res comparata singulis proferuntur particulis; priore loco ubi comparatio posita est, hae inveniuntur particulae:

qualis — talis: Theb. IX, 242. XI, 587.
qualiter — talis: Ach. I, 332. Theb. X, 537.
ceu — sic: Theb. III, 122. VI, 39. VIII, 331. 392. XI, 218. XII, 733.
velut (quum) — sic: Ach. I, 307. Theb. VIII, 475. XI, 530.
quantus — sic: Theb. XI, 12.
non aliter quam quum — sic: Theb. I, 421.
ut (quum) — sic: Theb. V, 231. IX, 858.
qualis (ubi) — sic: Silv. V, 2, 31. Theb. VII, 670.
sicut — sic: Silv. II, 5, 19.
credas — sic: Theb. III, 253.
putes — sic: Theb. VII, 599.
exspectes — sic: Theb. VI, 247.
similis et aequus — talis — et sic: Theb. III, 191.
ceu — is: Silv. V, 1, 218.
credas — is: Theb. VI, 457.
quantus — tantus: Theb. VI, 753.
credas — tot: Theb. VII, 18.
haud citius — quam: Theb. X, 674.
sic — sic et: Silv. II, 7, 93.

Bis poëta, ubi similia inseruit, et comparationem et enuntiationem, qua res comparata continetur, particulis com-

parativis instruxit: Silv. II, 1, 106 (velut — sic), Theb. VI, 854 (velut — non secus).

Nonnullis vero locis num comparatio magis ad ea, quae antecedunt, quam ad sequentia pertineat, vix judicari potest:

Theb. I, 131 (sic ubi — haud secus), Theb. II, 128 (qualis — sic), Theb. II, 491 (ceu — sic), Theb. II, 595 (non aliter — non segnius), Theb. V, 92 (velut — sic), Theb. VI, 777 (ut — sic), Theb. VII, 529 (qualis — sic), Theb. VII, 582 (ceu — non aliter), Theb. VII, 744 (sic ubi — non secus), Theb. VIII, 351 (ceu — sic), Theb. VIII, 692 (sic — non secus),[1]) Theb. X, 288 (non aliter — sic), Theb. XII, 12 (ut — sic).

Perraro poëta, si comparatio sequitur, rei comparatae particulam comparativam addidit:

talis — qualis: Silv. IV, 2, 64.
non tantus — qualis: Silv. I, 6, 21.
sic — ceu: Ach. II, 295.
nec major — quam quum: Ach. II, 442.
nec minus — quam si: Theb. II, 193.
nec segnius — quam: Theb. VIII, 675.
non magis — quam: Theb. XI, 435.
non alius — quam si: Theb. IX, 9.
haud alius — quam: Theb. IX, 554.
non secus — quam si: Silv. I, 2, 159. Theb. X, 220.

Restat, ut quomodo Statius complures comparationes inter se vel complures in comparatione res conjunxerit, paucis ostendatur. Particulis copulativis est usus: Silv. I, 4, 41. 112. I, 6, 41. II, 6, 30. 82. III, 3, 56. V, 3, 139. V, 5, 53. Theb. IV, 550. 737. 821. XII, 728, disjunctivis: Silv. V, 1, 113. 122. Ach. II, 356. Theb. I, 475. III, 56. 356. V, 349. VI, 50. 253. 298. VII, 709. IX, 460. X, 915. XI, 274. 461. 529. XII, 559; deinde particula comparativa repetita legitur et sola: Silv. I, 3, 31. II, 7, 93. III, 5, 57. IV, 2, 35. V, 1, 146. V, 2, 115. V, 3, 290. V, 5, 53. Theb. XI, 42, et conjuncta cum particulis copulativis: Silv. I, 2, 115. II, 6, 25. 37. IV, 6, 51.

---

1) cf. quae de hoc loco similibusque diximus p. 14 sq.

Theb. VIII, 407, vel cum disjunctivis: Silv. IV, 8, 28. Ach. I, 293. Denique multae aliae conjunctionis rationes inveniuntur, quas omnes enumerare longum est, cf. Silv. I, 2, 213. 242. II, 1, 88. 179. II, 6, 18. 45. Ach. I, 293. Theb. III, 592. 604. IV, 794. VI, 107. 405. 422. 595. 787. 806. VIII, 407. IX, 328. 435.

Caput III.

Jam quum disputatio nostra eo sit perducta, ut agendum sit de imitationibus, hanc quaestionem ita instituemus, ut tantum, quorum epicorum comparationes Statius in comparationibus conformandis sit secutus, doceamus. Quos fines eam ob causam mihi constitui, quia haud ignoro, me non tam perfectum esse in literarum graecarum et romanarum scientia, ut quoscunque poëtas vel locos Statius ante oculos habuerit, invenire possim. Nec tamen hujus rei me pudet, quum O. Muellerum, virum insigni diligentia et doctrina, et ipsum tanto operi, quod in editione sua suscepit, non parem fuisse intellexerim.[1]) Neque inutilis mihi videbatur haec quaestio, quia recentiores editores praeter Muellerum omnes eam neglexerunt nec priores quam oportebat diligentiam praestiterunt.[2]) Quanta vero in difficultate hic locus sit, me non fugit. Est enim primum perdifficile, semper imitationem internoscere a mera similitudine et de iis, quae recte distinxisse tibi videris, saepe alii aliter sentient. Sed priores nimirum, velut Cerda, ut unum afferam, in sua Vergilii editione, tantum aberant, ut tam diligenti distinctione uterentur, ut persaepe, quum in duabus comparationibus eandem rem descriptam invenerunt, imitationem se

---

1) Jam fere omnes locos composueram, quum hujus editionis pars prior prodiit, nec multum afuit, quin hanc opusculi partem non absolverem, nisi nonnulla a Muellero aut omissa aut minus recte allata esse cognovissem; nec minus eo commovebar, quod adhuc priorem tantum partem prodidit.

2) Barth hoc imitationis genus neglexit de industria.

deprehendisse putarent nec sibi temperarent, quin ingentem locorum farraginem congererent, non tam ut poëtae verba explicarent quam ut suam lectionis copiam venditarent, quo vitio multis locis Marklandi, ne de aliis dicam, Silvarum editio aspersa est. Longe consideratius egit Scaliger in libro V Poëtices cap. XIV., qui tamen, quum ipsum imitationum demonstrandarum consilium non cepisset et pleraque ex memoria afferret, pauca suppeditavit, quae ad nostram quaestionem pertinerent. Illa vero difficultas, quam supra memoravimus, etiam eo augetur, quod Statius imitationes suas, ut jam Markland docuit, plerumque bene occulit; 'est enim hoc perfectissimum genus imitationis, cum scilicet ita occulta est imitatio, ut tenues tantum ducantur lineae' (Cerda ad Verg. Aen. IX, 681.), cujus rei causam recte exposuit Scaliger l. a. p. 700: 'Hoc est maximum praeceptum nostris imitatoribus proponendum, ne potius dicant, quae alii dixerunt, quam quae non dixerunt: nisi lucem, numeros, venerem adjungere sese posse sperant.' Nec tamen hoc ipso artificio commoveri debemus, ut, ubicunque imitatio per se satis incerta est, poëtam aliorum vestigiis instare putemus, qua re ei magnam inferremus injuriam; permultas enim comparationes, quas ipse invenit, legimus neque omnino, quamvis aliis vitiis abundet, ejus inventio exilis vocanda est. Sed quum de talibus locis alium aliter judicare consentaneum sit, et eos, qui mihi persimiles esse videntur, ut ipsam imitationem non inesse censeam, et eos, quos alii injuria huic generi ascripserunt, proponam; quae compositio si non perfecta erit, eximiae locorum copiae excusationem habeo. At enim multo difficilius saepe dijudicatu est, utrum poëta imitationis ipse sibi fuerit conscius necne, quum saepe et, quae lectione cognovimus, si meminerimus, ipsi, unde sciamus, ignoremus et multa nos ipsos invenisse arbitremur, quos aliis debemus. Sunt tamen satis multi loci, ubi Statium scientem per vestigia aliorum decucurrisse eluceat.

Homerum Statius imitatus est his locis

Il. V, 87 sqq.:

Θῦνε (sc. *Τυδείδης*) *γὰρ ἂμ πεδίον ποταμῷ πλήθοντι ἐοικὼς*

χειμάῤῥῳ, ὅστ' ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφύρας·
τὸν δ' οὔτ' ἄρ τε γέφυραι ἐεργμέναι ἰσχανόωσιν,
οὔτ' ἄρα ἕρκεα ἴσχει ἁλωάων ἐριθηλέων,
ἐλθόντ' ἐξαπίνης, ὅτ' ἐπιβρίσῃ Διὸς ὄμβρος·
πολλὰ δ' ὑπ' αὐτοῦ ἔργα κατήριπε κάλ' αἰζηῶν,

Stat. Theb. III, 671 sqq.:

'Ut rapidus torrens, animos cui verna ministrant
Flamina et exuti concreto frigore colles,
Cum vagus in campos frustra prohibentibus exit
Obicibus, resonant permixto turbine tecta,
Arva, armenta, viri, donec stetit improbus alto
Colle minor magnoque invenit in aggere ripas,'

quoniam res, quae describuntur, non sunt eaedem, imitationem ipsam paullo discrepare non mirum est.

Il. XVII, 4 sq.:

Ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ βαῖνε, ὥς τις περὶ πόρτακι μήτηρ
πρωτοτόκος, κινυρή, οὐ πρὶν εἰδυῖα τόκοιο,

Theb. IX, 115 sqq.:

'Imbellem non sic amplexa juvencum
Infestante lupo, cum primum foeta tuetur
Mater et ancipiti circumfert cornua gyro,
Ipsa nihil metuens sexusque oblita minoris
Spumat et ingentes imitatur femina tauros,'

suo more Statius comparationem amplificavit.

Il. XXI, 22 sqq.:

Ὡς δ' ὑπὸ δελφῖνος μεγακήτεος ἰχθύες ἄλλοι
φεύγοντες πιμπλᾶσι μυχοὺς λιμένος εὐόρμου,
δειδιότες· μάλα γάρ τε κατεσθίει, ὅν κε λάβῃσιν.

Theb. IX, 242:

'Qualis caeruleis tumido sub gurgite terror
Piscibus, arcani quotiens devexa profundi
Scrutantem delphina vident; fugit omnis in imos
Turba lacus, viridesque metu stipantur in algas,
Nec prius emersi, quam summa per aequora flexus
Emicet, et visis malit certare carinis,'

in universa Hippomedontis in Ismeni fluctibus pugnantis descriptione Statio Homeri *μάχη παραποτάμιος* ante oculos versabatur.

Minus apparet imitatio his locis:

Il II, 87 sqq.:

Ἠύτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἀδινάων
πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων
βοτρυδὸν δὲ πέτονται ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν·
αἱ μέν τ' ἔνθα ἅλις πεποτήαται, αἱ δέ τε ἔνθα,

Ach. I, 555 sqq.:

'Quales jam nocte propinqua
E pastu referuntur apes, vel in antra reverti
Melle novo gravidas mitis videt Hybla catervas,'

imitationis magis occultae vestigia non latent: ut enim ab Homero Achaei convenientes cum apibus evolantibus, sic a Statio iidem discedentes cum revertentibus componuntur.

Il. IV, 452 sqq.:

Ὡς δ' ὅτε χείμαῤῥοι ποταμοὶ κατ' ὄρεσφι ῥέοντες
ἐς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄβριμον ὕδωρ
κρουνῶν ἐκ μεγάλων, κοιλῆς ἔντοσθε χαράδρης·
τῶν δέ τε τηλόσε δοῦπον ἐν οὔρεσιν ἔκλυε ποιμήν,

Theb. VIII, 461 sqq.:

'Qualiter hiberni summis duo montibus amnes
Franguntur geminaque cadunt in plana ruina.
Contendisse putes, uter arva arbustaque tollat
Altius aut superet pontes. Ecce una receptas
Confudit jam vallis aquas, sibi quisque superbus
Ire cupit, pontoque negant descendere mixti,'

quamquam Statius aliam rem describit, tamen, quod comparatione amplificata mentionem facit fluviorum confluentium, qui ad rem comparatam non pertinent, manifestum mihi imitationis esse indicium videtur.

Sunt vero multae aliae comparationes, quas, quamvis homericis sint persimiles, Statium ab Homero petivisse non arbitror, quum saepe etiam alii epici iis utantur, cf. Theb. VIII, 675 et Il. XIII, 62. XV, 690; Theb. VIII, 407 et Il. XII, 156. 278; Theb. IX, 532 et Il. IV, 482. XIII, 378. 389.

XIV, 414. XVI, 482. Hesiod. Scut. Herc. 421. Apoll. Rhod. IV, 1680. Verg. Aen. II, 626 (cf. Cerda) V, 448 (cf. Cerda) Val. Flacc. III, 163; Theb. VIII, 423. XI, 114 et Il. XVI, 765, hic ad eam causam, quam modo memoravi, accedit, quod loci Vergiliani Aen. II, 416 [1]) et X, 365 homerico similiores sunt, quamquam ne hos quidem locos Statium secutum esse puto; cf. praeterea, quos Heyne ad Verg. Aen. II, 416 attulit, Ennium apud Macrob. VI, 2 et Val. Flacc. I, 160; Theb. VI, 578 (cf. Silv. II, 6, 36) et Il. XXII, 317. Verg. Aen. VIII, 590; Theb. IX, 91 et Il. XV, 618. Verg. Aen. VII, 585 X, 693.

Ex Vergilio Statius has petivit comparationes:

Verg. Aen. II, 355 sqq.: 'Inde lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos inproba ventris
Exegit caecos rabies catulique relicti
Faucibus exspectant siccis,'

Ach. II, 30 sqq.: 'Gemini ceu foedere juncto
Hiberna sub nocte lupi: licet et sua pulset
Natorumque fames, penitus rabiemque minasque
Dissimulant humilesque meant, ne nuntiet hostes
Cura canum et trepidos moneat vigilare magistros,'

etiam hanc imitationem Statius eo, quod comparatione amplificata rem paullo diversam illustrat, occultiorem reddidit.[2])

Verg. Aen. IV, 301 sqq. (cf. Cerda):
'Qualis commotis excita sacris
Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia nocturnusque vocat clamore Cithaeron,'

Theb. V, 92 sqq.:
'Insano veluti Teumesia thyias
Rapta deo, cum sacra vocant Idaeaque suadet
Buxus et a summis auditus montibus Euhan;'

Verg. Aen. VII, 586 sqq.:
'Ille velut pelagi rupes inmota resistit' e. q. s.,

Theb. V, 723:
'Illa velut rupes inmoto saxea visu (haeret);'

1) Cerda hunc locum ex Hom. Il. IX, 4 petitum esse falso censet.

2) Scaliger l. a. p. 698 etiam Theb. V, 203 et X, 42 loci Vergiliani imitationes esse censet.

Verg. Aen. VII, 674 sqq.:

'Ceu duo nubigenae cum vertice montis ab alto
Descendunt Centauri Homolen Othrymque nivalem
Linquentes cursu rapido, dat euntibus ingens
Silva locum et magno cedunt virgulta fragore,'

Theb. IV, 139 sqq.:

'Non aliter silvas umeris et utroque refringens
Pectore montano duplex Hylaeus ab antro
Praecipitat (pavet Ossa) vias, pecudesque feraeque
Procubuere metu; non ipsis fratribus horror
Afuit, ingenti donec Peneia saltu
Stagna subit magnumque objectus detinet amnem,'

cf. etiam Theb. IX, 220;

Verg. Aen. VIII, 691 sq.:

'Pelago credas innare revolsas
Cycladas aut montis concurrere montibus altos,'

Theb. V, 338 sqq.:

'Abruptam credas radicibus ire
Ortygiam aut fractum pelago decurrere montem;'

Verg. Aen. XI, 624 sqq.:

'Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terram scopulosque superjacit unda
Spumeus extremamque sinu perfundit harenam;
Nunc rapidus retro atque aestu revoluta resorbens
Saxa fugit litusque vado labente reliquit,'

Theb. XI, 43 sq.: 'Ceu gurgite cano
Nunc retegit bibulas, nunc obruit aestus arenas;'

Verg. Aen. XI, 809 sqq.:

'Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur,
Continuo in montis sese avius abdidit altos
Occiso pastore lupus magnove juvenco,
Conscius audacis facti, caudamque remulcens
Subjecit pavitantem utero silvasque petivit,'

Theb. IV, 363 sqq.:

'Ille velut pecoris lupus expugnator opimi,
Pectora tabenti sanie gravis hirtaque saetis
Ora cruentata deformis hiantia lana,

Decedit stabulis huc illuc turbida versans
Lumina, si duri comperta clade sequantur
Pastores, magnique fugit non inscius ausi;'

Verg. Aen. XII, 715 sqq.:

'Ac velut ingenti Sila summove Taburno
Cum duo conversis inimica in proelia tauri
Frontibus incurrunt, pavidi cessere magistri,
Stat pecus omne metu mutum mussantque juvencae,
Quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur;
Illi inter sese multa vi vulnera miscent
Cornuaque obnixi infigunt et sanguine largo
Colla armosque lavant, gemitu nemus omne remugit,'

Theb. VI, 864 sqq.:

'Non sic ductores gemini gregis horrida tauri
Bella movent; medio conjunx stat candida prato
Victorem expectans, rumpunt obnixa furentes
Pectora, subdit amor stimulos et vulnera sanat,'

quum paullo similior sit locus Ovidianus a Muellero allatus Amorr. II, 12, 25 et hujus poëtae imitationes multas in Statii carminibus inveniri constet, utrum Statius secutus sit, vix disceptari potest. Lineas vero hujus comparationis dedit Ap. Rhod. II, 88. Sed Statio Theb. VI, 422 non exemplo fuisse Verg. Aen. IX, 668 ideo puto, quia haec comparatio omnibus fere poëtis communis est; qua de causa ne Theb. VIII, 423 quidem Vergilii (Aen. X, 356) imitatio haberi potest. Ne tamen ea, quibus supra negligentiam priorum editorum vituperavi, injuria dixisse videar, uno exemplo usus eos locos afferam, quos Cerda immerito Statium ex Vergilio desumpsisse dicit: Theb. II, 411 (Aen. II, 379), Theb. III, 671 (Aen. II, 305), Theb. IV, 9 (Aen. II, 471), Theb. V, 11 (Aen. VI, 310), Theb. V, 704 (Aen. X, 356), Theb. VII, 286 (Aen. VII, 699). Nihilo minus earum imitationum, quas ille vir omisit, numerus haud parvus est. Heyne quum et ipse nonnunquam in illud vitium incidit et temere, quae Cerda dixit, repetivit, tum Theb. II, 128 Statio Verg. Aen. XII, 4 ante oculos versatum esse falso censuit. Nec rectius Mueller cum Barthio Theb. V, 390 componit cum Aen. IX, 668, quum

locum supra allatum Vergiliano longe similiorem esse eluceat. Nec tanta inter Aen. IV, 441 et Theb. VI, 854 similitudo intercedere mihi videtur, ut cum Muellero imitationem existere credam.

Lucanum, quem noster vehementer admirabatur (cf. imprimis Silv. II, 7), satis raro imitatus est, cf. Luc. II, 601 sqq.:

'Pulsus ut armentis primo certamine taurus
Silvarum secreta petit, vacuosque per agros
Exsul in adversis explorat cornua truncis:
Nec redit in pastus, nisi quum cervice recepta
Excussi placuere tori: mox reddita victor
Quos libet in saltus comitantibus agmina tauris
Invito pastore trahit,'

Theb. II, 323 sqq.: 'Veluti dux taurus amata
Valle carens, pulsum solito quem gramine victor
Iussit ab erepta longe mugire juvenca,
Cum profugo placuere tori cervixque recepto
Sanguine magna redit fractaeque in pectora quercus,
Bella cupit pastusque et capta armenta reposcit,
Jam pede, jam cornu melior, pavet ipse reversum
Victor et attoniti vix agnovere magistri,'

cujus comparationis lineas Lucanus, ut Silius XVI, 4 duxit ex Verg. Georg. III., 220.

Luc. IV, 297 sq:

'Non se tam penitus, tam longe luce relicta
Merserit Asturü scrutator pallidus auri,'

Theb. VI, 880 sqq.:

'Haut aliter collis scrutator Hiberi,
Cum subiit longeque diem vitamque reliquit,
Si tremuit suspensus ager subitumque fragorem
Rupta dedit tellus, latet intus monte soluto
Obrutus, ac penitus fractum obtritumque cadaver
Indignantem animam propriis non reddidit astris;'

Luc. VII, 125 sqq.:

'Ut victus violento navita coro
Dat regimen ventis, ignavumque arte relicta
Puppis onus trahitur,'

Theb. III, 22 sqq.: 'Ac velut ille
Fluctibus Ioniis Calabrae datus arbiter alno
Nec rudis undarum, portus sed linquere amicos
Purior Olenii frustra gradus impulit astri,
Cum fragor hiberni subitus Jovis, omnia mundi
Claustra tonant multusque polos inclinat Orion;
Ipse quidem malit terras pugnatque reverti,
Fert ingens a puppe notus, tunc arte relicta
Ingemit et caecas sequitur jam nescius undas.' [1])

Apud Valerium Flaccum duos tantum locos inveni, quos Statius fortasse secutus est, Val. Flacc. IV, 44 sqq.:

'Fluctus ab undisoni ceu forte crepidine saxi
Cum rapit Halcyones miserae foetumque laremque
It super aegra parens queriturque tumentibus undis,
Certa sequi, quocunque ferant, audetque pavetque;
Icta fatiscit aquis donec domus haustaque fluctu est:
Illa dolens vocem dedit et se sustulit alis.'

Theb. IX, 360 sqq.:

'Fluctivagam sic saepe domum madidosque penates
Halcyone deserta gemit, quum pignora saevus
Auster et algentes Thetis invida nidos;'

Val. Flacc. VII, 581 sqq.: 'Aequora non sic
In scopulos irata ruunt, eademque recedunt
Fracta retro,'

Theb. VI, 777 sq.:

'Ut praeceps cumulo salit unda manentes
In scopulos et fracta redit.'

Alia vero comparatio Statiana, Ach. II, 151, quamvis similis sit loco Valeriano V, 344, non, ut Burmann putavit, inde petita esse mihi videtur, cf. Barth ad Ach. II, 151.

A Silio Italico Statius nullam comparationem mutuatus est; quamquam praeter nonnullos locos infra afferendos tres inveniuntur loci, qui huc pertinere videntur: Sil. IV, 522 (Theb. III, 671), VII, 126 (Theb. X, 47), VII, 254 (Theb. V,

---

1) Fortasse etiam Ach. II, 184 sqq. petita sunt ex Luc. IV, 237 sqq., ut Scaliger (l. a. p. 694) putavit.

704); sed prima comparatio passim est obvia (cf. Drakenborch et Ruperti ad Sil. l. a.), secundam vero ut uterque poëta ex Verg. Aen. I, 124—156, sic tertiam ex parte petivit ex Verg. Aen. IX, 59 (cf. Ruperti ad Sil. VII, 126).

Jam quum nonnullae comparationes apud Statium legantur, quibus complures ante eum epici usi sunt, superest, ut, quem Statius secutus sit, dijudicetur. Hom. Il. III, 23 sqq.:

Ὥστε λέων ἐχάρη μεγάλῳ ἐπὶ σώματι κύρσας,
εὑρὼν ἢ ἔλαφον κεραὸν ἢ ἄγριον αἶγα,
πεινάων· μάλα γάρ τε κατεσθίει, εἴ περ ἂν αὐτὸν
σεύωνται ταχέες τε κύνες θαλεροί τ' αἰζηοί,

Verg. Aen. X, 454 sqq.:

'Utque leo, specula cum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem in proelia taurum,
Advolat,'

ibid. 723 sqq.:

'Inpastus stabula alta leo ceu saepe peragrans,
Suadet enim vesana fames, si forte fugacem
Conspexit capream aut surgentem in cornua cervum,
Gaudet, hians immane, comasque adrexit et haeret
Visceribus super incumbens; lavit inproba taeter
Ora cruor,'

Theb. VII, 670 sqq.:

'Qualis ubi primam leo mane cubilibus atris
Erexit rabiem et saevo speculatur ab antro
Aut cervam aut nondum bellantem fronte juvencum
It fremitu gaudens, licet arma gregesque lacessant
Venantum: praedam videt et sua vulnera nescit;'

Statium Homeri et Vergilii comparationes quasi contaminasse apparet; primum Vergilii locum etiam Silius V, 309 comparatione amplificata imitatus est.

Hom. Il. IV, 141 sqq.:

Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήῃ
Μηονὶς ἠὲ Κάειρα, παρήϊον ἔμμεναι ἵππων· κ. τ. ἑ.

Verg. Aen. XII, 67 sq.:

'Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur,'

Ach. I, 307: 'Veluti — quum
ebur corrumpitur ostro;'
vix dubitari potest, quin Statio Vergilii locus exemplo fuerit.

Hom. Il. XIII, 137 sqq.:

Ὀλοοίτροχος ὥς ἀπὸ πέτρης,
ὅντε κατὰ στεφάνης ποταμὸς χειμάῤῥοος ὤσῃ,
ῥήξας ἀσπέτῳ ὄμβρῳ ἀναίδεος ἔχματα πέτρης·
ὕψι δ' ἀναθρώσκων πέτεται, κτυπέει δ' ὑπ' αὐτοῦ
ὕλη· ὁ δ' ἀσφαλέως θέει ἔμπεδον, εἴως ἵκηται
ἰσοπέδον· τότε δ' οὔτι κυλίνδεται ἱέμενός περ,

cf. Hesiod. Scut. Herc. 374. 437;

Verg. Aen. XII, 684 sqq.:

'Ac veluti montis saxum de vertice praeceps
Cum ruit, avolsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas,
Fertur in abruptum magno mons inprobus actu,
Exsultatque solo, silvas armenta virosque
Involvens secum,'

Val. Flacc. VI, 632 sqq.:

'Velut hiberno proruptus ab arcu
Imber agens scopulos, nemorumque operumque ruinas,
Donec ab ingenti bacchatus rertice montis
Frangitur, inque novum paulatim deficit amnem,'

Theb. VII, 744 sqq.:

'Sic ubi nubiferum montis latus aut nova ventis
Solvit hiems aut victa situ non pertulit aetas;
Desilit horrendus campo timor, arva virosque
Limite non uno longaevaque robora secum
Praecipitans, tandemque exhaustus turbine fesso
Aut vallem cavat aut medios intercipit amnes;'

stemma, ut ita dicam, hujus comparationis hoc est:

Homerus
|
Vergilius
Valerius Flaccus — Statius.

Hom. Il. XXII, 93 sqq.:

Ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος ἄνδρα μένησιν,
βεβρωκὼς κακὰ φάρμακα,

Apoll. Rhod. IV, 1539 sqq.:

Ὡς δὲ δράκων σκολίην εἰλίγμενος ἔρχεται οἶμον
εὖτέ μιν ὀξύτατον θάλπει σέλας ἠελίοιο·
ῥοίζῳ δ' ἔνθα καὶ ἔνθα κάρη στρέφει, ἐν δέ οἱ ὄσσε
σπινθαρύγεσσι πυρὸς ἐναλίγκια μαιμώοντι
λάμπεται, ὄφρα μυχὸν δὲ διὰ ῥωχμοῖο δύηται,

Verg. Aen. II, 471 sqq.:

'Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus
Frigida sub terra tumidum, quem bruma tegebat,
Nunc, positis novus exuviis nitidusque juventa,
Lubrica convolvit sublato pectore terga
Arduus ad solem et linguis micat ore trisulcis,'

Theb. IV, 95 sqq.: 'Ceu lubricus alta
Anguis humo verni blanda ad spiramina solis
Erigitur liber senio et squalentibus annis
Exutus laetusque minax interviret herbis.
Ah miser! agrestum si quis per gramen hianti
Obvius et primo siccaverit ora veneno;'

Statii locum proxime ad Vergilianum accedere manifestum est; cf. etiam Nicandr. Ther. 31 et qui Vergilium expressit Silium XII, 6. XVII, 448.

Restant nonnullae comparationes, quas ut Vergilius ab Apollonio Rhodio, sic Statius a Vergilio mutuatus est; Statium enim eas non ab ipso Apollonio petivisse eo comprobatur, quod Vergilianis similiores sunt neque alibi apud Statium Apollonii imitationis vestigia inveniuntur, quum pauci loci, quos Mueller attulit, non ii sint, quibus nostra sententia redarguatur; sunt vero hi loci:

Apoll. Rhod. I, 1243 sqq.: *Ἤὔτε τις θήρ*
ἄγριος, ὅν ῥά τε γῆρυς ἀπόπροθεν ἵκετο μήλων,
λιμῷ δ' αἰθόμενος μετανείσεται, οὐ δ' ἐπέκυρσεν
ποίμνῃσιν· πρὸ γὰρ αὐτοὶ ἐνὶ σταθμοῖσι νομῆες
ἔλσαν· ὃ δὲ στενάχων βρέμει ἄσπετον, ὄφρα κάμῃσιν,

Verg. Aen. IX, 59 sqq.:

Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili
Quum fremit ad caulas, ventos perpessus et imbris,
Nocte super media; tuti sub matribus agni
Balatum exercent; ille asper et inprobus ira
Saevit in absentis; conlecta fatigat edendi
Ex longo rabies et siccae sanguine fauces,'

Theb. X, 42 sqq.: 'Rabidi sic agmine mixto
Sub noctem coiere lupi, quos omnibus agris
Nil non ausa fames longo tenuavit hiatu.
Jam stabula ipsa premunt, torquet spes irrita fauces
Balatusque tremens pinguesque ab ovilibus aurae.
Quod superest, duris affrangunt postibus ungues
Pectoraque et siccos minuunt in limine dentes.'

Apoll. Rhod. II, 130 sqq.:

Ὡς δὲ μελισσάων σμῆνος μέγα μηλοβοτῆρες
ἠὲ μελισσοκόμοι πέτρῃ ἐνὶ καπνιόωσιν,
αἳ δ' ἤτοι τείως μὲν ἀολλέες ᾧ ἐνὶ σίμβλῳ
βομβηδὸν κλονέονται, ἐπιπρὸ δὲ λιγνύοντι
κάπνῳ τυφόμεναι πέτρης ἑκὰς ἀΐσσουσιν,

Verg. Aen. XII, 587 sqq.:

'Inclusas ut quum latebroso in pumice pastor
Vestigavit apes fumoque inplevit amaro;
Illae intus trepidae rerum per cerea castra
Discurrunt magnisque acuunt stridoribus iras;
Volvitur ater odor tectis; tum murmure caeco
Intus saxa tonant; vacuas it fumus ad auras,'

Theb. X, 574 sqq.:

'Sic ubi pumiceo pastor rapturus ab antro
Armatas erexit apes, fremit aspera nubes;
Inque vicem sese stridore hortantur et omnes
Hostis in ora volant, mox deficientibus alis
Amplexae flavamque domum captivaque plangunt
Mella laboratasque premunt ad pectora ceras.'

Apoll. Rhod. II, 278 sqq.:

Ὡς δ' ὅτ' ἐνὶ κνημοῖσι κύνες δεδαημένοι ἄγρης
ἢ αἶγας κεραοὺς ἠὲ πρόκας ἰχνεύοντες

θείωσιν, τυτθὸν δὲ τιταινόμενοι μετόπισθεν
ἄκρῃς ἐν γενύεσσι μάτην ἀράβησαν ὀδόντας,

Verg. Aen. XII, 749 sqq.:

'Inclusum veluti si quando flumine nactus
Cervum aut puniceae saeptum formidine pinnae
Venator cursu canis et latratibus instat,
Ille autem insidiis et ripa territus alta
Mille fugit refugitque vias, at vividus Umber
Haeret hians, jam jamque tenet similisque tenenti
Increpuit malis morsuque elusus inani est,'

Theb. V, 165 sqq.: 'Qualis quum cerva cruentis
Circumventa lupis, nullum cui pectore molli
Robur et in volucri tenuis fiducia cursu,
Praecipitat suspensa metum; jam jamque teneri
Credit et elusos audit concurrere morsus,' cf. Ov. Mett. I, 533. VII, 785.

Similitudo, quae inter Hom. Il. VI, 506. Enniumi, ncert. sed. frg. 51 (ed. Vahlen) Apoll. Rhod. III, 1258. Verg. Aen. XI, 492 et Ach. I, 277 intercedit, tam exigua est, ut imitationem consulto factam existere negandum sit. Nec minus, quamvis similes inter sese sint hi loci: Hom. Il. III, 3. Verg. Aen X, 264. Stat. Theb. V, 11. XII, 515, tamen, quia comparatio de gruibus sedes mutantibus petita apud poëtas epicos satis usitata est (cf. Verg. Aen. VI, 311. Luc. V, 711. Val. Flacc. III, 359) certi poëtae simile nostro ante oculos fuisse vix credibile est.

Quibus locis propositis quamquam constantem imitandi rationem Statio non fuisse elucet, tamen eum fere nunquam anxie exemplorum suorum vestigia secutum esse suoque arbitrio comparationes, quas imitatur, non modo amputasse vel amplificasse, sed etiam interdum ex iis pauca tantum in eas comparationes, quas ipse invenit, transtulisse apparet. Pleraeque autem comparationes ab aliis petitae ut de rerum natura assumptae sunt, sic praeter ceteros poëtas epicos Vergilium secutus est.

VITA.

Augustus Carolus Guilelmus Krause natus sum Suidnicii, in oppido Silesiae, anno hujus seculi quadragesimo septimo die XXVIII. mens. Apr. patre Augusto et matre Carolina e gente Haertel, quos jam complures ante annos praematura mihi mors eripuit. Fidem profiteor evangelicam. Annum decimum agens in gymnasium Suidnicense receptus sum, quod per IX annos frequentavi. Testimonio maturitatis munitus Vratislaviam me contuli, ubi studiis philologicis per X semestria operam dedi. Audivi autem vv. dd. et ampll. hosce: Braniss, Elvenich, Haase, Hahn, Hertz, Junkmann, Neumann, Pfeiffer, Reifferscheid, Roepell, Rossbach, Rueckert, Schultz; per sex semestria seminariis philologicis Hertzio, Reifferscheidio, Rossbachio dirigentibus interfui. Quibus viris quum omnibus ob merita in me collocata, tum vv. ill. Hertzio et Reifferscheidio, qui nunquam mihi neque consilio neque opera deerant, quam maximam habeo gratiam A medio mense Aug. anni proximi usque ad mensem Apr. hujus anni munere magistri functus sum in gymnasio, quod vocatur Magdalenaeum, cujus director, v. ill. Heine, rara liberalitate insignibusque beneficiis me devinxit.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 091 893 9

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Stat. Silv. V, 3, 276 legendum est: 'infernaque Juno.'

II. Stat. Theb. IV, 346 fortasse scribendum est: 'nec belli interrita fama.'

III. Sophocl. Electr. v. 1085 sq. sic emendandos esse arbitror: *ὡς καὶ σὺ πάγκλαυτον αἰῶνα τοῖον εἵλου*
τοῦ μὴ καλοῦ καταπτύσασα.

IV. Statius Antimachum Colophonium in Thebaide non secutus est.

V. Fabulae, quae Babrii nomini addicuntur, non ante III. seculum post Christum natum compositae esse mihi videntur.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 091 893 9